


# EPISTULA LEONINA

## CCLXXXVIII

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM DUODENONAGESIMAM (288)

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA</b> .....	<b>03-04</b>
<b>AMANTES AMENTES</b> .....	<b>05</b>
<b>DE AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS</b> .....	<b>06-08</b>
<b>VERITATIS SIMPLEX ORATIO (Gaius Licoppe)</b> .....	<b>09-15</b>
<b>DE GREGE TORUNENSI FORO LATINITATIS VIVAE INTERRETIALI</b> .....	<b>16-19</b>
<b>„NOVIS REBUS NOVA NOMINA ESSE IMPONENDA“ (LL)</b> <b>ACROASIS ZOOMIANA ALF</b> .....	<b>20-33</b>
<b>DE IANO GRUTERO HUMANISTA</b> .....	<b>34-44</b>
<b>HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA: LATINA SIREN. PRAEFATIO (LL)</b> .....	<b>45-49</b>
<b>DE TAMMARO FLUVIO DEQUE HORATIO ANTONIO POETA TAMMARIGENA</b> .....	<b>50-69</b>
<b>IN OCCIDENTE NIHIL NOVI (III) Remarque/LL</b> .....	<b>70-81</b>
<b>FABULA CRIMINALIS: ILLUMINATI Schirach/LL</b> .....	<b>82-93</b>
<b>CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA</b> .....	<b>94-129</b>
<b>LATINITAS ACULEATA: COLLOQUIOLUM LETTONO-RUTHENICUM</b> .....	<b>130-131</b>
<b>EPISTULA QUAM OLAO OBLIVIOSO SCRIPSIT URSUS PENESTICUS</b> .....	<b>132-133</b>
<b>SAHRA AURIGA: “VOSNE OMNES INCIDISTIS IN INSANIAM?”</b> .....	<b>134-135</b>
<b>SAHRA AURIGA:</b> <b>„HABEMUS GUBERNATIONEM EUROPAE OMNIUM STULTISSIMAM!“</b> .....	<b>135-137</b>
<b>ALLEGORIA STULTITIAE</b> .....	<b>138</b>
<b>ALICIA PASCUALIS: „GERMANIA NAVIGAT IN TEMPESTATEM GRAVISSIMAM!“</b>	<b>139-143</b>
<b>ALICIA PASCUALIS: „ISTA GUBERNATIO ODIAT GERMANIAM!“</b> .....	<b>143-147</b>
<b>DE BASILIO ARKHIPOV SERVATORE MUNDI</b> .....	<b>148-157</b>
<b>DE STANISLAO PETROVIO SERVATORE MUNDI</b> .....	<b>158-171</b>
<b>ECHUS VOCES &amp; EPISTULAE</b> ..... <i>Alexius Scatebranus (177-178) – Alexius Vestigiarius (179-183) - Ansgarius Osloensis (183-188) – Christianus Laes (172-173) – Francisca Deraedt (175) – Gaius Licoppe (175-177) - Gustavus Tavares Bellihorizontensis (219-220) – Horatius Antonius Bologna (189-190) – Joannes Carolus Rossi (191) – Lydia Brighi (191-192) – Marcus Cristini (192-197) – Maurus Pisini (190-191) - Maximilianus Pulcher Mystagogus (198-206) – Michael Faber Saravipontanus (222-224) - Naevius Sartorius (206-216) – Nicolaus de Mico (174-175) – Radulfus Bonaeropolitanus (217-218) – Tycho Davydoff (178-179) – Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (218-219) - Victorius Ciarrocchi Pisaurensis (220-222)</i>	<b>172-224</b>
<b>EPISTULA CHRISTIANI LAES</b> .....	<b>225-226</b>
<b>CERTAMEN QUIRINALE</b> .....	<b>227</b>
<b>CERTAMEN CAPITOLINUM LXXV</b> .....	<b>228</b>
<b>MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S.</b> .....	<b>229-230</b>
<b>CORRIGENDA ET SUPPLENDA</b> .....	<b>231</b>
<b>LIBRI LEONIS LATINI</b> .....	<b>232-235</b>

## PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS  
SAL.PL.DIC.

*Cara Lectrix, Care Lector,*

*tandem editurus sum Epistulam meam Leoninam 288. Quae sat copiosa facta est: habet enim ducentas triginta sex paginas. Interdum sunt, qui lamententur se tantam copiam paginarum Leonis legere omnino non valere. Equidem praefero abundantiam egestati. Ceterum nemo cogitur, ut omnes fructûs sibi praebitos statim degluttiat. Inspice Indicem argumentorum et elige quaecumque tibi placeant, evita quae displiceant, quae maiora sunt, quam ut statim perlegas, eorum lectionem differas – nil obstat! –*


*Tu autem quomodo te habes? Rectène vales? En habes cenam Leoninam sat opiparam. Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.*

*Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÛS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...*

*Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris – »sublimi feriam sidera vertice«. – Si agitur de quaestionibus litigiosis – semper studeas non solum thesi, sed etiam antithesi inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus *synthesin*! Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** Cara Lectrix, care Lector, --- Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.de/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Martis, 07. m.Maii a.MMXXIV**



# AMANTES AMENTES


Pinxit René Magritte a.1928: „Amantes“.

TERENTIUS, Andria I 3: Inceptio est amentium, haud amantium.

cfr Titulus comoediae Gabrielis Rollenhagen (a.1604, 3.ed.): AMANTES AMENTES  
*Amantes amentes, das ist ein sehr anmutiges Spiel von der blinden Liebe.* Magdeburg 1609.

# De ambulationibus Augustanis

## Stadtführungen in Augsburg (Augusta Vindelicum)



**öffentliche Führungen Frühjahr / Sommer 2024**  
**Einfach kommen. Ohne vorherige Anmeldung.**

Sonntag, 5. Mai 13 Uhr  
**Lingua Latina simplicata** (Latine)  
Start vor dem Rathaus

Sonntag, 9. Juni 13 Uhr  
**Aquae et muri** (Latine)  
Start vor dem Roten Tor

Samstag, 22. Juni, 20 Uhr 15 und 21 Uhr 30  
**Kommt mit mir in meine Zeit!**  
**Die Grabinschriften im Kreuzgang**  
**von Sankt Anna** (Deutsch)  
Start in der St-Anna-Kirche  
Im Rahmen der Langen Nacht der Kunst

Sonntag, 21. Juli 13 Uhr  
**Lingua Latina simplicata** (Latine)  
Start vor dem Rathaus

Näheres unter  
Festnetz 0821 / 9069613  
mobil 0173 5874852  
[maximilianus-schoen@t-online.de](mailto:maximilianus-schoen@t-online.de)  
<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

Anno 2024 Augustae Vindelicum (Augsburg) hae ambulationes publicae fient. Qui adesse cupit, accedat. Veni! Nomen antea dare non est necesse.

Qui plura scire cupit, ibi discet:

**bellus delphin**

Maximilian Schön

*filo fixo:* 0821 / 9069613

*gestabili:* 0173 5874852

[maximilianus-schoen@t-online.de](mailto:maximilianus-schoen@t-online.de)

maximilianus-schoen.jimdosite.com

die Solis, 28. die mensis Aprilis:

**Aquae et muri (lingua Germanica)**

Ante Portam Rubram (Rotes Tor)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.

die Solis, 5. die mensis Mai:

**Lingua Latina simplificada (Latine)**

Ante curiam (Rathaus)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.

die Solis, die 9. mensis Iunii:

**Aquae et muri (Latine)**

Ante Portam Rubram (Rotes Tor)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.

die **Saturni**, 22. die mensis Iunii:

**Redite mecum in praeterita mea!**

**De elogiis monumentorum,**

**quae in peristylio Annaeano sunt**

**(lingua Germanica)**

Vesperi ad sanctae Annae templum

euangelicum (St. Anna) conveniemus.



Im Rahmen der Langen Nacht  
der Kunst.

die Solis, die 21. mensis Iulii:

**Lingua Latina simplificada (Latine)**

Ante curiam (Rathaus)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.

die Solis, die 15. mensis Septembris

**Aquae et muri (lingua Germanica)**

Ante Portam Rubram (Rotes Tor)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.

die Solis, die 22. mensis Septembris 13 Uhr

**Aquae et muri (Latine)**

Ante Portam Rubram (Rotes Tor)

hora prima postmeridiana (13.00)

conveniemus.



Näheres unter  
0821 / 9069613

oder unter

<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

**Salve, Nicolae.**

Dies ambulationum Augustanarum rursus inspiciens me in errorem lapsum esse animadverti. **Pro die Veneris, 22. die mensis Iunii scribendum est die Saturni, 22. die mensis Iunii** Tolle et corrige istud mendum, quaeso, antequam Epistulam Leoninam edes. Veniam tuam peto. Vale multum!



## VERITATIS SIMPLEX ORATIO

Titulus est adagium, quo in hac symbola utar; Erasmus sic idem commentatur: "Proverbium usurpabitur in rhetores ac poetas, qui mendacia verborum lenociniis fucare solent".

Solam ergo veritatem historicam simpliciter et dilucide patefaciam, ut mos est meus.

I. "**Qui tacet consentire videtur**": hac de causa tacere non soleo.

II. "**In terra rapta non potest vivi pacifice**" Radulfus Verleger

Dilemma Israelianorum vitae est perpetue bellando vincere, aut perire!

Rudolfus videtur oblivisci Iudaeos "Terram promissam" bellum gerendo occupavisse.

Cum Arabes mahometani septimo saeculo Palaestinam, tunc fere totam christianam factam, occupaverunt, incolas Arabice loqui et mahometanos fieri coegerunt. Hoc Arabes sine verecundia fecerunt; dicebant esse ius victoris.

Respublica Israeliana sui iuris anno 1948 proclamata est et agnita tam ab Occidentalibus quam ab URSS; postero die mahometanae civitates vicinae, quae eam non accipiebant, bellum Israelianis inferre coeperunt. Post unum annum terribilis belli, Israeliani victores evaserunt.

Regimen Palaestinae, quae pars erat victi imperii Otomanici, Britannis a Societate Nationum tributum est anno 1923 in viginti quinque annos. Tunc Magna Britannia et Francogallia, victores primi belli mundani, potentissimae erant in orbe terrarum. Post alterum bellum mundanum, i.e. alterum Europaeorum occidentalium bellum civile, omnes Europaei occidentales iacebant impotentes; earum loco dominabantur Civitates Americae Unitae (USA) capitalisticae et Unio Sovietica (URSS) communistica.

Statim post finem Britannorum mandati in Palaestina, anno scilicet 1948, Israeliani proclamaverant suam rempublicam sui iuris.

Britanni mandatum quoque habebant in Irakia et Francogalli in Syria Libanoque, quae anno 1948 quoque finem habebant.

Emiratus Transiordaniae erat protectoratus Britannicus ab anno 1921 ad gratias agendas stirpi Hachemitae, quae Arabum rebellionem contra imperium Otomanicum excitaverat et Anglos sic adjuverat in primo bello mundano.

Protectoratus finem habet anno 1946 et emirus Abdallah bin al-Hussein fit rex Abdallah I Transiordaniae sui iuris ; ille exercitum habet optimum inter Arabes, cum ab Anglis instructus sit et caput habeat Anglum. Hac de causa hic exercitus primum bellum Israeliano-Arabicum non participat, id quod Israelianorum victoriam iuvat. Hac occasione data Abdallah I Cisiordaniam et Hierosolymitarum partem orientalem sibi tribuit. Quo iure? Cisiordania enim constat e Iudaea et Samaria, quae sunt ab

Antiquitate Iudaeorum sedem; item de Hierosolymis. Abdallah I, rex Iordaniae factus, a ceteris Arabibus habetur ut proditor et postea a sicario trucidatur.



Protectoratus finem habet anno 1946 et emirus Abdallah bin al-Hussein fit rex Abdallah I Transiordaniae sui iuris ; ille exercitum habet optimum inter Arabes, cum ab Anglis instructus sit et caput habeat Anglum. Hac de causa hic exercitus primum bellum Israeliano-Arabicum non participat, id quod Israelianorum victoriam iuvat. Hac occasione data Abdallah I Cisiordaniam et Hierosolymitarum partem orientalem sibi tribuit. Quo iure? Cisiordania enim constat e Iudaea et Samaria, quae sunt ab Antiquitate Iudaeorum sedem; item de Hierosolymis. Abdallah I, rex Iordaniae factus, a ceteris Arabibus habetur ut proditor et postea a sicario trucidatur.

Anno 1949 indutiis subscribunt Israeliani ex una parte et vicinae Arabicae civitates ex altera parte; Abdallah I servat Cisiordaniam et Hierosolyma orientalia. Aegyptii servant exiguam Laciniam Gazae.

Cum respublica Israeliana sui iuris proclamaretur, 700 milia mahometanorum ibi vivebant ac constitutio a Praeside Ben Gourion elaborata eadem iura civilia eis dabat ac Iudaeis. Postquam vicinae civitates ei bellum intulerunt, 350 mahometanorum milia e finibus Israelianis aufugerunt, seu pugnas fugientes, seu allekti a vicinis, qui promittebant se eos brevi domum reducturos esse; devicti eos reducere non potuerunt; eos tamen in suis civitatibus non acceperunt, paucis exceptis, sed in compluribus castris collocaverunt, ubi adhuc sunt et miserabiliter vivunt sine labore. Prolem ingentem genuerunt; prima 350 milia intra 75 annos facti sunt 5,9 miliones, quibus ONU per UNRWA non desinit subsidia mittere.

Ipse anno 1964 rempublicam Israelianam primum lustravi; statim percepi cultum ibi eundem esse ac in Belgica; admiratus sum incolarum entusiasmum, qui celerrime veterem inertemque Palaestinam faciebant modernam prosperamque.

Post primum bellum israeliano-arabicum Arabes non desinunt Israelianos lacescere. Anno 1956 erumpit bellum Canalis Suesiensis, quod Angli praesertim et Francogalli, una cum Israelianis, contra Aegyptum colonelli Nasser gerere statuerunt;

ille enim modo potitus est Societate Canalis Suesiensis, quae anno 1858 condita erat cum exclusoria Canalis gestionis licentia, a Mohammed Saïd Pacha, rege Aegypti, in unum saeculum data; eius capitale 200 milionum francorum Francogallicorum divisum erat in 400 milia actionum, e quibus 180 milia tributa erant regimini Aegyptiaco.

Angli Francogallique milites *decidiculo*<sup>1</sup> ad Canalem missi exercitum Aegyptiacum facile fugant et iam ad Cairum properant, cum sua victoria subito orbantur, vetantibus Unione Sovietica (URSS) et Civitatibus Unitis (USA). Nasser celebratur ut heros in orbe mahometano.

Nasser servabat paeninsulam Sinaiticam, sed sinere debuit eam custodiri a Galeis Caeruleis ab ONU missis; sic limes Israeliano-Aegyptiacus mansit pacificus.

Anno 1957 Nasser ab ONU flagitavit, ut Galeas Caeruleas Paeninsulam Sinaiticam relinquerent et illuc suos milites ducit.

Eodem anno Aegyptus et Syria plebiscito coniunguntur et fiunt Respublica Arabica Cunita, cuius praeses est colonellus Nasser. Statim Syria Israelianos lacescere incipit; de oropedio Golan eius canones tela displosiva vomunt in Israeliam, quae vices reddit delendo 7 Syriaca aeroplana bellica. Nasser tunc claudit fretum de Tiran, impediens ne naves Israelianae e Mari Rubro ad portum Eilat perveniant; hoc praenuntiaverant Israeliani: est casus belli.

Israeliani antecedentes subito oppugnant coalitas civitates arabicas; est initium belli, quod dicitur Sex Dierum. Primo die dimidia pars Araborum aeroplanorum deletur et sexto die exercitus Aegypti, Iordaniae et Syriae fugantur profligati. Israeliani potiuntur tota paeninsula Sinaitica, Lacinia Gazae, Cisiordania, parte orientali Hierosolymorum et oropedio Golan.

Inter annos 1967 et 1970, cum vicini Arabes non desinant Israelianis minari, illi fines suos muniunt. Gamal abdel Nasser, heroica fama in orbe mahometano perdita, praemature moritur anno 1970. Est quoque finis eius somnii, Reipublicae scilicet Arabicae Cunitae. Anouar el-Sadat fit Aegypti praeses. In Syria, iterum sui iuris, Hafez el-Assad regiminis habenis potitur. In Israel Golda Meir iam unum annum est primaria ministra.

Anouar el-Assad primus Arabum regentium foedus pacis Israelianis proponit, sed paeninsulam Sinaiticam recuperare vult, id quod nolunt Israeliani, qui ibi propugnacula bene muniverunt.

Israeliani male iudicant de nova potentia suorum hostium. Aegyptii vero exercitum frequentem et bene instructum habent, cui non desunt currus cataphracti<sup>2</sup>, neque

1 \**dēcidiculum*, -i n. i.q. theod. *Fallschirm*; angl. *parachute*; fr. *parachute*; hisp. *paracaidas*; ital. *paracadute*. **Leo Latinus huic neologismo** (Palaestra Latina 1952, p.156) **praefert nomen a Iosepho Xylandro confictum: umbella dēsultōria**. Iosephus Holzer (Xylander) in litteris Iosepho Mir missis (Palaestra Latina An.22, N.132, a.1952, p.156) de hac notione Latinē reddendā scribit ea quae sequuntur: „Pro *paracaidas* «decidiculum» haud inepte novasti. Equidem per litteras Lurtio Monacensi «*umbellam desultoriam*», sed pro copiis instrumento illo lapsum et casum retardante ac moderante e caelo per aera in terram descendentibus «*copias desultorias*» feci.”

2 **currus cataphractus** hōc loco i.q. theod. *Panzer*; angl. *tank*; fr. *char d’assaut*; hisp. *carro de combate*; ital. *carro armato*; neogr. ἄρμα μάχης. Aptius **harma**, -atis n. Sic etiam **Scatebranus** in indice suo prolixo (v. infra p.22). cfr

aeroplana bellica, neque arma apta ad currus et aeroplana delenda; haec omnia attulit Unio Sovietica, quacum Nasser pactum panxerat. Pluribus fontibus Israeliani et ipsa Golda Meir monentur de instante impetu Aegyptiorum et Syriorum, sed huic nuntio mire non credunt.

Impetus inexpectatus Aegyptiorum et Syriorum fit mense Octobri 1973 die festo *Yom Kippour*, Israelianis feriato. Initio propugnacula Israeliana in Sinai et Golan expugnantur. Celerrime tamen Israeliani valent magnam militum copiam cogere, qui vehementer repugnant et post unam septimanam hostes fugant; maiore parte novorum armorum Arabum deleta, Cairo et Damasco appropinquant.

Neque USA, neque URSS iuvat hoc bellum, quare tribus septimanis post initium belli ONU Consilium Securitatis indutias imponit, sed iter ad pacem instituendam erit longum. Cum anno 1977 Anouar el-Sadat fines Israelianorum adhuc videt immutatos, statuit eos visitare et coram Knesset contionem habet, qua foedus pacis proponit dum sibi reddatur paeninsula Sinaïtica. Est primus ex Arabum ducibus, qui sic de facto agnoscat Rempublicam Israelianam. Praeses Americanus Jimmy Carter ambos adversarios anno 1978 in praedium Camp David invitat, ut de pace disputent. Foederi ambo anno 1979 Vasintoniae tandem subscribunt et Israeliani tunc maiorem Sinai partem Aegypti reddunt. Anouar el-Sadat, quia pacem cum Israelianis fecerat, uno anno post trucidatus est a speculatoribus Fratrum Mahometanorum.

Censebam Proximum Orientem tranquillum fore, dum tractationes fiunt de pace; quare anno 1975 Rempublicam Israelianam cum familia lustrum; par amicorum nos comitatur. Israel tunc suas optimos fines habet et regionem a Golan usque ad meridionalem Sinai extremitatem, autoraedis conductis vecti, tranquille lustramus, quasi ambularem per Europam.

Feminae vestitae sunt ut apud nos et omnibus muneribus libere funguntur. Archaeologi miras effossiones ubique faciunt etiam in vetere urbe Hierosolymorum. In oropedio Golan v.g. situm archaeologicum "Paneas" (quem Arabes transcribunt Baniyas), antiquitus Caesaream Philippi vocatum, ab Israelianis factum est amoenum viridarium naturale, ubi unus e duobus Iordani fontibus e monte Hermon fluit; ibi exhibentur reliquiae sanctuarii deorum Iovis et Panos.

In Cisiordania incolae mahometani pacifice vivunt et nos loca sacra christianismi tranquille invisimus. Descendimus quoque per novam viam optime stratam, secundum sinum Eilat creatam, usque ad extremam Sinai partem meridionalem; in itinere noctu ascendimus montem Sinai, unde splendidum solis ortum admiramur; cum per gradus descendimus, Beduinis occurrimus, qui defessos lustratores exspectant eisque ientaculum praebent, atram scilicet calidamque cafeam et tenuem placentam panis azymi, coctam supra ignem ex surculis factam; modicum ientaculum, sed tunc gratissimum! Inde invisimus Graecum monasterium orthodoxum Sanctae Catharinae, museum rarissimorum operum antiquarum artium.

---

LIDDELL-SCOTT, p.242, s.v. ἄρμα, ατος, τό, chariot, **esp. war-chariot**, Il. 5.231, etc...". - cfr neogr. ἄρμα μάχης. Liceat fingere adiectiva, q.s. \*harmaticus, -a, -um et \*antiharmaticus, -a, -um.

Nomades tribus Beduinorum (circa 250.000) in solitudinibus Sinaiticis libere vagantur.

His paucis memoriis monstratur Israelianos pacem pro omnibus fundare; magnam prosperitatem ubique gignunt; frequentem prolem non habent, sed sedule curant ut sui liberi bona institutione fruantur; scientistae Israeliani sunt inter optimos in mundo.

Exemplo ab Aegypto dato, spes oritur pacis in Proximo Oriente tandem instituendae et anno 1994 foedus pacis pangitur inter regnum Iordaniae et Israelem. Spes infeliciter fuit nimis brevis...

Ab anno 1970 aliquid novi gradatim sed funditus orbem mahometanum in peius mutat; duces, velut Nasser et Anouar el-Sadat, sunt mahometani moderati et satis eruditi; Saudianum contra regnum in solitudinis Arabiae mediae (*Hedjaz*) anno 1932 conditum est ferum et ignarum; primus rex Abdelazis ibn Saud (1932-53) non repudiavit pactum, quod maiores sui fecerant cum minima secta Arabica, "wahabismus" provehens; quae secta sibi proponebat, ut Arabum gentes in imperio Otomanico inclusas et sopitas expergefaceret earum fervorem religiosum refocillando; wahabismus est stimulus, quo mahometani incitentur, ut modum se gerendi assumant integrum, qualis erat tempore Mahometi; hac de causa wahabismi fautores vocari solent "integristae"; re vera nihil sciunt de *islam* temporis Mahometi, cui potius nomen *proto-islam* est dandum.

Regnum Arabiae, pauperrimum cum sit, wahabismus extra suos fines diffundere non potest. Americani autem geologi in Arabia anno 1938 detegunt strata fossilis petrolei, maxima totius mundi, quod Americanis extrahere licet; petrolei exportatio verum initium habet statim post alterum bellum mundanum, sed inde crescere non desinit propter Occidentalium inexstinguibilem petrolei sitim. Petrolei reditus fit ingens; eius pars Arabiae tradita semper crescit et ab anno 1980 Saudiani totum reditum sibi sumunt; reditus culmen, 161 miliarda dollariorum, evenit anno 2022.

Cum Fayçal ben Abdelaziz Al Saud (1964-75) fit tertius Arabiae rex, eius regnum iam non est pauperrimum, sed locupletissimum factum. Favet panislamismo, est anticomunista, defendit causam Palaestinatorum et vituperat Occidentales quod Israelem adiuvant. Ab anno 1970 pecunia Saudiana alit terroristas islamicos, qui ubique ictus semper terribiliores perpetrant, etiam Hierosolymis. Hodie, duces Occidentales nondum intellegunt *islam*, unum circiter saeculum impotens et sopitum, iterum factum esse magnum periculum.

Societas Fratrum Mahometanorum anno 1928 Alexandriae creata est ad renascentiam islamicam fovendam et ad Occidentalium morum contagionem respuendam; deinde eius praecipuus scopus est pugnare contra Rempublicam Israelianam. Fratres Mahometani se insinuaverunt in totum orbem mahometanum, sed in nonnullis civitatibus habentur ut terroristae et persequuntur, ut in Aegypto et in Syria. Inter eorum fautores sunt qui globos sui iuris creaverint, ut Hamas, ad Rempublicam Israelianam evertendam.

Oportet distinguere illos, qui sunt amici nostri, ab hostibus cultus civilis Europaei; Israeliani, praeter *Haredim*, i.e. ultra-orthodoxos (13,5%), eundem cultum habent ac Europaei, sed circa eos sunt mahometani, qui hunc cultum respuunt, incluso regimine democratico.

Usque ad annum 1979 solum mahometani sunnitae Israelianis erant infesti. In Irania maxima sedes siitarum mahometanorum (qui sunt sunnitarum adversarii) tunc regnabat imperator Shah Reza Pahlavi, more Europaeo in Helvetia educatus; ille magnas reformationes suscipiebat ad maximam populi partem paupertate ignorantiaque levandam; ad quod efficiendum necessarius ei erat redditus petrolei, iam ineunte vicesimo saeculo ab Anglis detectum et inde ab eis extractum et exportatum. Ibi quoque redditus semper crescebat et Shah Reza maiorem redditus partem accipere volebat; propter has capitalisticas dissensiones Occidentales siverunt ayatollah Khomeini, exsulem in Francogallia, in Iraniam redire, ubi iterum ignaros mahometanos ad rebellandum excitavit. Shah Reza aegrotans rebellionem non statim oppressit; orbatus auxilio Occidentalium, Iraniam reliquit et Khomeini regiminis habentis potitus est. In Occidente Shah Reza dicebatur dictator sanguinarius esse et Khomeini democratiam restituere velle.

Sine mora amico imperio substituta est theocratia mahometana, Occidentalibus eorumque cultui vehementer infesta; suos cives quoque tyrannice tractat et feminis velum islamicum imponit. Hoc regimen maiori populi parti odiosum factum est; anno 2023 amplius 800 incolae capite damnati sunt ad tyrannidem sustinendam. Fera theocratia Iraniae siitarum non celat sibi in animo esse Rempublicam Israelianam tollere, quam "Statum Sioniticum" vocant; cum eam directe aggredi non audeat, agit per tres terroristarum globos, quibus praebet arma necessaria: Hesbollah in parte meridionali Libani, ubi shiitae frequentes facti sunt, Hamas in Lacinia Gazae et recentius Houthis in Yemen parte, ubi sunt shiitae.

Tot restant narranda, sed, ne nimis longus sim, statim ad conclusiones veniam.

III. "**Impetum fieri in homines inermes**" Norman Finkelstein

IV. "**Israeliam ex persona victimae esse educendam. De Europae Responsalitate.**" Radulfus Verleger.

V. "**Omnis vita humana est pretiosa. Ius humanitarium valet ad omnes.**" dicit Rashid Khalidi.

Norman Finkelstein videtur nescire inermes Israelis incolas iam ab anno 2001 necari inopinatis displosionibus rucherarum magis magisque potentibus (iuvante Irania) et praesertim ex exiguis Gazae finibus missis.

Item Finkelstein ignorat quoque die 7 mensis Octobris 2023 terroristas Hamas maximam inexpectatamque incursionem fecisse in Israelianorum fines, tantum ad quam plurimos inermes incolas trucidandos, cruciandos, constuprandos; 1400 perierunt et amplius ducentos, inclusis teneris pueris et extraneis periegetibus, secum reportaverunt captivos.

Radulfus Verleger autumat "Israeliam ex persona victimae esse educendam". Facta supra in memoriam revocata satis monstrant Israelianos adhuc esse victimas.

Idem addit "De Europae Responsalitate". Certe, nisi per multa saecula cum culmine vicesimo saeculo, Iudaei in Europa omni modo etiam crudelissime molestati essent, patriam novam non creavissent in Palaestina; Europaei ipsi hoc proposuerunt et effecerunt ut fieret; nunc oportet tueantur partum suum, qui secum in Palaestinam attulit cultum Europaeum.

Rashid Khalidi dicit: "Omnis vita humana est pretiosa". Re vera haec sententia pertinet ad cultum Europaeum, sed non respicitur in cultura mahometana, ubi singulorum vita pro nihilo habetur; solum praestat *islam* victoria, etiam impendio multorum vitae.

Optimum exemplum nunc praebet Hamas: post suam atrocem incursionem, Hamas caput (hospes in Quataria) sciebat Israelianos vices reddituros esse; cum comperit primum ministrum Israelianum terroristas Hamas ex Gazae finibus extirpare statuisse, nuntiavit hoc fore coemeterium exercitus Israeliani, et re vera sic esset si Israeliani in singulis aedificiis terroristas inter incolas in insidiis positos detegere debuissent. Quae cum ita sint, Israeliani aedificia bombis delent antequam terroristas in ruinis sine nimio periculo oppugnant atque eorum incredibili reticulo cuniculorum gradatim potiuntur.



**Dr. med. Gaius Licoppe**

Bombae infeliciter multos incolas inermes necant; culpa non est Israelianorum, sed Hamas ducis, qui eos necari mavult quam Gazae Laciniam relinquere. Cottidie divulgat novum mortuorum numerum (quomodo hoc scire potest?), quia scit hoc sensibilitati Occidentalium intolerabile esse; se indutias obtenturum esse sperat, sed Israeliani nolunt ei aliquid laxamenti dare; interea maxima captivorum pars adhuc in latebris celatur; pauci liberati iam narraverunt miserabiles condiciones suae subterraneae vitae...

**SCRIPSIT GAIUS LICOPPE NESTOR LATINITATIS VIVAE ET  
ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**



# DE GREGE TORUNENSI

## FORO LATINITATIS VIVAE INTERRETIALI

**grex@man.torun.pl**

d.11. m.Apr. a.2024 h.15:01

**NICOLAUS LEO LATINUS EDUARDO CETERISQUE SAL.PL.**

Permittatis, quaeso, sodales, ut ex vobis quaeram pauca historica:

1) Quomodo nomen Gregis nostri exortum est? Pertinetne ad urbem Polonicam, q.e. *Torun*, et si pertinet, quâ ratione?

2) Quando conditus est grex et a quo?

3) Bene memini **Stanislaum Tekieli** conditorem EPHEMERIDOS de Latinitate Vivâ optimê meritum, quocum habui longum commercium epistularum frequens et fructuosum; îdem - proh dolor - ante 3 ferê annos defunctus est. Vosne eum recordamini? Fuitne is quoque inter huius Gregis participes?

4) Recordor etiam nomen alterius viri Poloni aliquando Latinitatis Vivae studiosissimi: **Conradus Kokosiewicz**. Quocum numquam habui commercium litterarum, sed ab aliis Latinophilis audivi eum fuisse rerum et Latinarum et computatralium peritissimum, sed nimiâ cupidine dominandi atque rixandi praeditum aliquando se a sodalibus seiunxisse et a sermone vivo colendo destitisse. Eumne virum excellentem novistis?

5) Audivi eundem Conradum indicem anglico-Latinum composuisse artis computatralis. Habetne aliquis vestrum hunc indicem in promptu?

Haec hactenus, cari Toruniani. Pro responsis vestris iam in antecessum gratias vobis ago ingentes atque ineffabiles. Valete basilicê.

**Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.11. m.Apr. a.2024 h.10:59:37

**Eduardus Nicolao, Victorio, Agricolae, ceterisque sodalibus veteribus qui/quae rerum gestarum huius fori meminisse valent, sal.**

In paucis verbis, quantum possim, quaesitis tuis, Nicolae, respondebo:

1. Ineunte anno 1996 Conradus cum aliis Varsaviensibus hunc circulum condidit ut scriptiones ad commercium epistularum attinentes habere possent de rebus quas viva voce tractare solebant. Inde nomen (nunc temporis rem perperam describens) nostri GLL ... loquentium.... Ipse tantum in conventibus dissitis Latine balbutire conatus sum. Nunc mihi satis est L. L. citius et accuratius legere posse.

2. 1996.2 a Conrado Polono.

3. Fuit Stanislaus sodalis noster multos annos. Bene eius memini. Interpres munere erat qui strenue operam dabat fabulis criminalibus (Poe, Sherlock Holmes, etc.)

4. Nihil cupidinis dominandi a Conrado testatus sum. Nunc temporis est professor litterarum classicarum alicubi in Polonia. Non credo eum a methodo naturali L.L. docendi destitisse. Eum numquam coram conveni.

5. Glossarium centum terminorum talium composuit sed interim (mea sententia) melius (fortasse in illud Conradi fundatum) fecerunt sodales *Familiae Sancti Hieronymi* a *Patre Suitberto Siedl* condita. Apud <https://www.hieronymus.us.com/> alicubi fortasse inveniendum est documentum a Brenno Regan compositum: De machina Computatoria Notiones. Olim gratis habendum fuit, nunc autem venale est.

**Valete**

d.11. m.Apr. a.2024 h.23.25

**NICOLAUS EDUARDO SAL.PL.**

Gratias magnas tibi refero, care Eduarde, pro responso prompto et prolixo, praesertim pro fonte Glossarii allato. Meâ quidem sententiâ sicut in omnibus studiis doctis, etiam in Latinitate vivâ colendâ multum valet et decet fontes sedulê investigare et merita antecessorum fideliter in memoriam revocare.

Valeas tu et valeatis vos omnes pancraticê. **Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.12. m.Apr. a.2024 h.08.41

**Victorius Nicolao, Eduardo, omnibus 'GLL' participibus, s. p. d.**

Responsis, Eduarde, quae de huius Gregis ortu deque Conrado recte scripsisti, opportunum videtur quaedam addere, ut 'de historia GLL' Nicolaus noster plura sciat.

A) Semper laudandus est Conradus, quod hanc sodalitatem condidit. Miro scribendi genere usus est: claro ac presso. Breviores epistulas mittere solebat, si excipias eam longiorem c. t. 'Num sit mutanda re[s] publica annon'; quae quidem epistula (die 26 Sept. 2003 scripta) tractatus historicus et philosophicus de communismo videtur esse. Latinitatem auream, quae dicitur, strenue is defendit ideoque eos gregales, qui vocabulis linguas vernaculas redolentibus favebant, acriter improbavit. Cuius quidem rei exemplum fuit disceptatio de voce, quae est 'realitas'; quamque vocem abhinc aliquot saecula non pauci scriptores usurpant. De hac re multae epistulae (praesertim mensibus Septembri et Octobri a. 2003) scriptae sunt. Et ego illius disputationis particeps fui. Denique *Gaii Licoppe* epistulam c. t. <de "realitate"> (die 26 Oct. 2003) aperte probavi.

B) Conradus a simulatibus alienus non fuit (eum non improbo, quia et ego simultates interdum vel invitus fovi). Eam ex. gr. rixam bene recordor, quae Conradum inter et *Ioannem Gluzak*, alium virum Polonum eundemque rerum historicarum peritissimum (anno 2001 vel 2002) ob diversas ipsorum opiniones politicas orta est. Adeo ea rixa degeneravit, ut Ioannes "Tersites" sit a Conrado appellatus. Etiamnunc ex me quaero quid accidisset, nisi ad sedandos eorum animos intervenisset Dionysius Silvanus, qui praecipue Conradum admonuit ne contumeliis ad personam directis indulgeret.

C) Contigit mihi ut Conradum convenirem quodam die ineuntis mensis Augusti a.2003. Tunc societates, q.n. 'Melissa' et 'L.u.p.a.' seminarium Vindobonense apparaverant, cuius participes (plerumque iuvenes nondum quadragenarii) fuimus circiter septuaginta. Sed non tota hebdomade Vindobonam commorati sumus; nam biduo in monasterio oppidi '**Heiligenkreuz**' appellati fuimus. Ibi vespere quodam apparuit Conradus: proceriore statura, vultu severiore. Quo cum viro sumus ego aliique per nonnullas horas variis de rebus collocti. Is ex me quaesivit quomodo in Italia condiciones Latinitatis se haberent; ego respondi eadem, quae antea et postea centies heic scripsi. Opportune Conradus (cuius Latina pronuntiatio clarissima erat) me hortatus est ut etiam positivos aspectus ad praesentem linguae Latinae vitam considerarem. Insequenti anno Conradus – eheu! - Gregem reliquit. Haec habui, Nicolae et Eduarde, quae de hoc Grege eiusque conditore scriberem. Valet.

**P.S.**

d.12. m.Apr. a.2024 h.09.56

**Victorius legentibus s. p. d.**

Sub B): 'Thersites' mihi scribendum fuit. Sub C): 'Vindobonae', neque «Vindobonam»; et locutioni: «ad praesentem linguae Latinae vitam» adicienda fuit vox, quae est 'spectantes' vel 'pertinentes'. Valeatis et ignoscatis mihi, quaeso.

\*\*\*\*\*

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (Andreas Vesalius).

-----  
Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.



d.12. m.Apr. a.2024 h.16.52

**NICOLAUS VICTORIO OPTIMO CETERISQUE SODALIBUS GREGARIIS  
SAL.PL.**

Gratias plurimas, optime Victori, pro historiôlâ tuâ Conradinâ. Cum ex multis epistulis a te acceptis bene scio, quantâ sis facundiâ et peritiâ gregum conventuum seminariorum periodicorumque quae spectant ad sermonem Latinum colendum, plurimum tibi commendo, ut scribas Historiam Latinitatis Vivae. A.MMXII iam edidisti "VARIA LATINITATIS VIVAE TESTIMONIA", i.e. prodromum operis historici, c.t. "HISTORIA LATINITATIS VIVAE SAECULI VICESIMI ET UNDEVICESIMI". Quid tibi, quid ceteris videtur? Valeas tu, valeatis vos ceteri basilicê atque pancraticê. **Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus.**

**EPISTOLIA ELECTRONICA  
DE GREGE TORUNENSI  
SCRIPTA  
COLLEGIT  
LEO LATINUS**

ACROASIS ZOOMIANA d.02. m.Mart. i.e. die Saturni hora quinta p.m.

## **Thema: „NOVIS REBUS NOVA NOMINA ESSE IMPONENDA“ - DE VERBIS LATINIS NOVANDIS**

*CIC. fin.3,3: Imponenda sunt nova rebus novis nomina. id. nat.deor.1,44: sunt enim rebus novis nova ponenda nomina.*

### **1. Quaestio utilitatis**

Primo quaerendum est, *num hodie Latine loquentibus et scribentibus utile et consentaneum sit verba Latina novare?* Plerisque vestrum hoc videtur extra quaestionem esse. Scilicet eos philologos, qui semper solum tractant scripta antiquorum tradita neque umquam student suo Marte cogitationem sui Latinis verbis exprimere, prorsus abstinere a novis verbis confingendis. Sed ii qui solent colloquia Latina habere, pro certo habent ad res recentiores denominandas etiam necessarium esse, ut nova nomina fingantur. Tamen est etiam unus homo qui quamvis persaepe Latinê et elegantissimê loquatur et scribat disertissimê, tamen strictê negat nova verba esse confingenda. Îdem puritatis sermonis defensor severissimus est *Aloisius Miraglia* conditor *Vivarii Novi*, quem de Latinitate vivâ optimê et admirabiliter meritum esse equidem numquam negabo. Itaque omnino non intellego, quare is orator ipse Latinissimus absteineat ab omni verbo novato. Sed habeat sibi, eius facundiam numquam desinam laudare.

Tamen constat de rebus modernae aetatis subtilioribus neminem posse loqui aut scribere, nisi adhibeat verba novata sive neologismos. Itaque his quindecim annis Lexicon modernum picturatum, *Orbem Pictum* in Latinum converti, quod complectitur 40.000 (quadraginta milia) notionum, quarum quaeque in quinque linguas modernas, i.e. anglicum, theodiscum, francogallicum, hispanicum, italicum conversum est; ego Latinam versionem addidi.

### **2. Difficultas abundantiae**

Si de tantâ notionum modernarum abundantîâ loquor, dicat aliquis: *„Quonam modo et quanto spatio temporis vis tot verba nova Latina fingere, ut denomines quadraginta milia rerum modernae aetatis, quae magnam partem spectant ad subtilitates technicas? Et si reverâ tibi contigit, ut tot nomina rerum nova Latina confingeres, nonne tota Latinitas tantâ abundantîâ neologismorum alienâ et a sermone Ciceronis et Caesaris remotissimâ alienatur, immo corrumpitur? Nonne falsas sermonem tali figmento megalomano?‘*

### 3. Verba polysemica et coniunctiones verborum

Qui talem scrupulum mihi vult inicere, ignorat omnis sermonis hominum, cuiuscumque originis îdem sit, quandam peculiaritatem: sermo nequaquam pro omni re omnique notione quam capere scit, unum habet verbum proprium speciale, sed abundat synonymis et verborum coniunctionibus et translationibus, i.e. metaphoris. Itaque homo loquens et scribens multo paucioribus eget verbis propriis, quam denominare scit res sibi nôtas. En cara auditrix, care auditor, specta exempla verborum, q.s. *machina* et *\*motrum*, quorum unum est antiquuum, alterum novum ex antiquo derivatum, et lege, quot verba derivaverim attributis aut genitivi aut adiectivi additis, ut singula genera specialia *machinarum* et *motrorum* denominarem. Hôc indice perspecto certê mihi assentieris dicenti omnem sermonem humanum multo pauciora habere verba quam res sint, quas homo intellegat et agnoscat.

### 4. Fontes

Si quae notio moderna Latinê est denominanda, primo lexicis Latinitatis omnium aetatum accuratê perscrutandis videndum est, num iam exstet nomen Latinum, quo res sat aptê et rectê et intellegibiliter significetur. Talis investigatio semantica et historica interdum est valdê laboriosa, sed interim ope interretis multo facilior et celerior facta est. In notione autem modernâ Latinê denominandâ oportet thesaurus verborum qui iam exstat totus exhaustur, sed si variis aetatibus litteraturae varia nomina inveniuntur, solemus praeferre id vocabulum, quod est aureae Latinitati quam propinquissimum.

Quod attinet ad terminos technicos, varia lexica specialia ad varias disciplinas sunt inspicienda. Optimus onomatologus verborum antiquorum est *Iacobus (Jacques) André* magnus Francogallus philologus, qui multa opera scripsit terminologica, e.g. ea, quae spectant ad nomina plantarum et colorum. Ad bestiarum nomina *Pliniana* invenienda et intelligenda optimum adiumentum est opus *Helmodi Leitner*. *Pliniana Naturalis Historia* est magna aurifodina nominum quae spectant ad plantas et bestias et mineralia necnon artes fabriles et picturam et geographica et multa alia naturalia. *Vitruvius* eiusque commentatores recentiores multa nobis donant terminos technicos architecturae antiquae, *Celsus* aliique docent nos de terminis technicis medicinae antiquis, *Vegetius* de veterinariâ terminologiâ.

Proxima aetas litterarum Latinarum, i.e. mediaevalis, haud iustê interdum habetur pro aetate obscurâ Latinitatis obscurae et vulgari. Reverâ apud auctores mediaevales haud pauca invenimus vocabula ad lexicon nostrum neolatinum aptissima, e.g. si agitur de ecclesiis et burgis sive castris et armaturis equitum mediaevalium eorumque terminis technicis.

Quid dicam de humanistis et auctoribus disciplinarum specialium, praesertim naturalium scientiarum artiumque fabrilium? Qui nobis praebent thesaurum adhuc inexhaustum!



Quod attinet ad vocabula neolatina saeculo vicesimo conficta, primo loco afferenda sunt *Lexicon Vaticanum* sub aegide *Caroli Egger* (1914-2003) compositum, et *Lexicon Auxiliare Christiani Helffer* (1930-2008), cuius componendi ipse fui particeps. Hoc opus quod a.1991 Saraviponti editum est curâ tertiâ, usque nunc certê est optimum lexicon neolatinum, nam ad idem maximê contribuit *Caelestis sive Iosephus Antonius Eichenseer* (1924-2008), quem saeculi vicesimi fuisse lexicographum et neologistam Latinitatis vivae omnium abundantissimum et subtilissimum pro certo habeo; eius opus, c.t. *Latinitas Viva* (a.1981 Saraviponti) complectitur vocabula Latinitatis modernae et cottidianae et abundat testimoniis omnium aetatum Latinissimis.

*Alexius Scatebranus* (i.e. *Alexej Solopow*)<sup>1</sup> philologus Moscuensis in opere suo prolixo, c.t. *Initia eloquentiae Latinae*<sup>2</sup> indicem publicavit copiosissimum neologismorum, qui redolent amorem graecismorum tam mirabiliter vehementem, ut Scatebranus etiam eas notiones, quae apud nos occidentales iam sunt ex centum ferê annis verbis merê Latinis denominatae, nominibus graecis elegantissimis decoraret. Habeat sibi Rutenus neologista hellenophilus! In Orbe Picto Hexaglotto eius confictiones dignabor commemoratione: Synonyma permittuntur, absit a nobis humanistis sterilis rixatio, floreat felix cooperatio!

### 5. Regulae verba inveniendi et confingendi (Bacci, Eichenseer)

Multi auctores neolatini multa contribuerunt ad Latinitatem novis verbis ditificandam. Sed pauci studuerunt rationem suam verba nova confingendi ad systema regularum vel normarum redigendum. In hac re eximiê laudandi sunt *Cardinalis Antonius Bacci* (1885-1971) et *Caelestis alias Iosephus Antonius Eichenseer* (*Dryas* sive *Querculacustris*), qui regulas Latina verba inveniendi et confingendi proposuerunt, quas nunc rogo, ut perlegatis et recenseatis (5 a & b)<sup>3</sup>.

1 cfr [https://www.academia.edu/41247850/Alexius\\_Scatebranus\\_Rutenus\\_Scholas\\_Eloquentiae\\_Latinae\\_viginti\\_amplius\\_annos\\_iam\\_habeo\\_V\\_V\\_Demytyeva\\_ed\\_Lumen\\_intellectus\\_pamyati\\_Ii\\_Leonidovny\\_Mayak\\_Yaroslavl\\_2019\\_P\\_164\\_168\\_in\\_Latin](https://www.academia.edu/41247850/Alexius_Scatebranus_Rutenus_Scholas_Eloquentiae_Latinae_viginti_amplius_annos_iam_habeo_V_V_Demytyeva_ed_Lumen_intellectus_pamyati_Ii_Leonidovny_Mayak_Yaroslavl_2019_P_164_168_in_Latin)

2 **Alexii SCATEBRANI Ruteni: Initia Eloquentiae Latinae.** In aedibus Indrik. Moscoviae MMVIII, p.604-656:

§3. Русско-латинский словарь неологизмов (i.e. Rutenico-latinus Index Neologismorum). **Hunc indicem stupendâ cum subtilitate confectum proximâ in Epistolâ Leoninâ prolixê tractabo.**

3 Inter priores neologistas Latinitatis fertilissimos eminent *Arcadius Avellanus* (1851-1935), Hungarus (nomen originale: *Mogyoróssy Arkád*) qui in Civitates Unitas emigravit ibique multas versiones fabularum modernarum Latinas publicavit; quarum notissima est *Insula Thesauraria* (versio illius fabulae illustrissimae *Ludovici Stevenson*, c.t. „*Treasure Island*“), in cuius praefatione fusê agit de methodis verba nova confingendi. Ceterum commemoratione dignissimus est *Iosephus Xylander* (orig. *Holzer*, 1908-1966), multorum vocabulorum Latinorum novator diligens rationumque novandi tractator subtilis (cfr *Caelestis Eichseer*, In memoriam Josephi Holzeri magistri linguae Latinae paedagogique verê magni, in: *Palaestra Latina*, m.Iun. a.1966, p.49-68. Sed alios quoque neologistas de Latinitate resuscitandâ optimê meritos occasionem nactus prolixê commemorabo.



## 5. a) REGULAE VERBA INVENIENDI AUT *CONFINGENDI* (Cardinalis Bacci)

**Antonii S.R.E. Cardinalis BACCI** quatenus possint huius temporis inventa et excogitata Latine significari, in: *Acta omnium gentium ac nationum conventus Latinis litteris linguaeque fovendis a die XIV ad diem XVIII mensis Aprilis a. MDCCCCLXVI Romae habiti*, Romae in aedibus Caroli Colombo, 1968. p.299-310.

I. Inprimis Latinos scriptores optimos, quos classicos hodie vocamus, et eos etiam, qui post renatas litteras ab humanitate acceperunt nomen, ‚nocturna versavi manu, versavi diurna‘; atque hoc modo res multas summa cum animi iucunditate inveni, quibus per similitudinem et affinitatem, seu analogiam, nova inventa novaque excogitata luculenter satis significari possunt (...)

II. Secundo loco plurima nova inventa novaque cogitata ex Graeco fonte significari possunt, parce detorta, ut ait Horatius (Ars 53); id tamen Cicero concedit tantummodo si occurrat necessitas, hoc est si Latina vox desit: ‚Puto concedi nobis oportere, scribit, si quando minus occurrat Latinum‘ (Fin.III,15). Si igitur Latina vox praesto sit, ad Graecam confugiendum non est, ut nonnulli faciunt eruditionis causa, vel inani quadam doctrinae ostentatione. Itaque exempli gratia non *archivum*, sed *tabularium* dicendum est (...)

III. Tertio loco ex Latino fonte nova verba, quae iam in communi usu sint et a probatis scriptoribus usurpata, ut verbi gratia *communismus* et *socialismus*, adhiberi possunt. Hae enim voces, necessariae prorsus, ex Latinis adiectivis ‚communi‘ et ‚sociali‘ derivantur (...)

IV. Quarto modo nova verba, ex Graeco atque ex Latino fonte una simul coniuncta, derivari possunt; quamvis haec verba, quae hybrida a grammaticis vocantur, a nonnullis qui ‚pro Latina lingua acriter pugnant, et Latii fines contra peregrinitatem tuentur‘, omnino respuantur. Quintilianus enim haec habet: ‚Junguntur autem [verba] ex duobus Latinis integris, ut *superfui*...aut ex integro et corrupto, ut *malevolus*, aut ex corrupto et integro, ut *noctivagus*, aut duobus corruptis, ut *pedisequus*, aut ex nostro et peregrino, ut *biclinium*, aut contra, ut *epitogium* et *anticato*, aliquando et ex duobus peregrinis, ut *epiraedium*; nam cum sit *epi* praepositio Graeca, *raeda* Gallicum... Romani suum ex alieno utroque fecerunt‘. Cur igitur quod Quintilianus concedit, non assumamus, et quibus verbis ipse Cicero aliique scriptores optimi utuntur, nos non utamur? (...)

V. Quinto modo per verborum ambitum seu periphrasin. Interdum enim res novae vel nova cogitata habentur quae uno verbo significari nequeunt (...)

VI. Sexto denique modo. Hac in re non neglegendae sunt semanticae doctrinae normae, quibus edocemur verba etiam Latina proprium significationis decursum suamque veluti historiam habere atque adeo non semper idem significare. Quod etiam Cicero concedit et admittit (...)

## 5. b) REGULAE VERBA INVENIENDI AUT *CONFINGENDI* (Eichenseer, LL)

**I. Rem tene verba sequentur! (Cato)**

**II. Opera Latina omnis aetatis sunt perquirenda.**

**III. Classici praeferendi sunt posterioribus.**

**IV. Linguae modernae, praesertim romanicae sunt respiciendae.**

**V. Etymologia respicienda est.**

**VI. Flexio, genus, quantitates vocalium indicandae sunt.**

**VII. Derivata et exempla contextualia sunt praebenda.**

**VIII. Fides historica est observanda: loci testes, testimonia afferantur.**

**IX. Indicandae sunt formae verborum secundum cognitiones recentissimas (ThLL).**

**X. Structura verborum antiqua (composita, suffixa) est servanda.**

## **XI. Verba minus bene conficta, sed iam pridem usitata sunt conservanda.**

## **XII. Synonyma permittuntur.**

### **6. Quibus modis verba confingantur (composita, suffixa)**

#### **6.1. Interpretatio Romana – Lectus Procrustêus?**

consul (burgimagister); pater purpuratus (cardinalis); aedilis (biocolytes, astynomus);

#### **6.2. Periphrasis**

##### **6.2.1. - cum verbo moderno**

effectus, quem nostrates vocant „Treibhauseffekt“ (effectus \*thermocepicus); illa res, quae Anglice dicitur „public viewing“ (\*coenosopia), \*coenoscopium), instrumentum, quod dicimus sermone vernaculo „smartphone“ (\*sophophonum) e.q.s.

##### **6.2.2. - cum interpretamento Latino**

navigium per aera vehens (Güthling: „Luftschiff“); is qui e ludo (litterario) in academiam transiturus est (s.ob. Georges: «Abiturient», melius: \*abituriens, -ntis m.); societas, quae pecuniã acceptã se post mortem alicujus superstitibus certam pecuniae summam soluturam promittit ac in se recipit (Georges: «Lebensversicherung»).

#### **6.3. Attributio**

##### **6.3.1 Attributum genitivi**

ludus chartarum (Kraft: „Kartenspiel“), cerevisiae officina (Güthling: „Brauerei“), eques sacrae militiae (Güthling: „Kreuzritter“, melius: +cruciger), sortium alea (Güthling: „Lotterie“, Güthling).

##### **6.3.2 Attributum adiectivale**

tormentum bellicum (canno, -onis m.), pictor Babylonicus (Kraft: „Goldsticker“), via ferrata (Georges: „Eisenbahn“, melius: \*ferrivia, -ae f.), depravata imitatio (Güthling: „Karikatur“, melius: gryllus, -i m. (PLIN.nat). machina vaporaria, - sutoria, - lavatoria, - elutoria, armarium frigidarium

#### **6.4. Compositio**

##### **6.4.1. Compositio nominalis**

magnanimus, aurifodina, harenifodina. - -i- (gr. -o-). lucripeta; \*feripeta, \*veneripeta.

\*aquipila, \*equipila (= +zucanium), \*mollipila.

\*pedifollium, \*corbifollium, \*manufollium;

muscipulum, -i n. \*luticipulum, \*nidoricipulum; \*pinguicipulum; \*pulvericipulum

##### **6.4.2. Präfixio**

\*postbellicus „postwar: postbellicus, post bellum, tempus bellum subsequens“). praesenilis (z.B. alopecias praesenilis), \*praejuvenilis, z.B. pseudosclerosis praejuvenilis).

#### **6.5. Derivatio**

##### **6.5.1. Deminutivatio**

\*officinula (NLW); magistellulus (NLW); comptatiuncula (NLW); \*pecuniola (NLW)

##### **6.5.2. Denominatio**

\*arabicari (NLW „sich mit dem Arabischen beschäftigen“); \*adcrustare (NLW „im Verputz befestigen“); \*adhospitare (NLW „aufnehmen, beherbergen“); \*canistratim (NLW „körbeweise“).

\*lagoenatim, \*pabonatim, \*sigmatim, \*saccatim,

##### **6.5.3. Deverbatio**

\*capabilitas (NLW „Fassungsvermögen“); \*circumductilis (NLW „herumdrehbar“); \*convolutim (NLW „verdreht, gewunden“).

#### 6.5.4. Suffixio

##### 6.5.4.1. suffixum agentis (-tor/trix)

\*abalienator (NLW), \*abalienatrix (NLW); +braciator (“Brauer“), +braciatrix “Brauerin“ (DuC); \*nartator (He., „Skifahrer“), \*nartatrix (He., „Skifahrerin“), a +narta, -ae f. (Hofmann), cfr \*scridator, scridatrix a +scrida (Pekkanen).

##### 6.5.4.2. suffixum instrumenti (-trum, -culum, -bulum, -men/tum, -arium/-orium)

\*computatrum. operculum. turibulum. pulsabulum. \*motrum (He. „Motor“); \*computatrum (He., „Computer“); \*herbisectrum (He. “Rasenmäher”); retinaculum; nucifrangibulum (PLAUT.Bacch.598); \*spargibulum (He., “Düse”).

##### 6.5.4.3. suffixum peiorativum –aster/-astra

antik: pinaster, calvaster, recalvaster, catulaster, surdaster, parasitaster, philosophaster. \*mediaster – mediastrius (ap. Horatium). \*poetaster (poeta), \*mathematicaster, \*medicaster (Kurpfuscher, Quacksalber), eigene Neubildung (Fragrantia): \*fabraster - schlechter Handwerker, Pfuscher (syn. \*cacopoeus). \*coquaster („Küchenbulle“).

##### 6.5.4.4. suffixum –(e)tum: congregatio, accumulatio rerum, praesertim plantarum.

arboretum, vinetum, rosetum, oletum, quercetum, dumetum, lumectum (v. \*lumex = Dorngebüsch), salictum (salix Weide), spinetum; virgultum; sepulchretum; (Gebüsch, v. virgulta, Zweig). \*oryzetum, -i n. phytosociologica: \*dauco-arrhenateretum; \*fagetum nudum

##### 6.5.4.5 suffixum -(tr)ina

sutrina, tonstrina, officina, popina, coquina, \*parsina “Sparkasse”.

##### 6.5.4.6. Desiderativa, z.B. \*abituire (abituirens): -urus + -ire

\*abituire - \*abituirens, -ntis m./f. - \*abituire, -i n. i.q. \*absolvia, -ae f. = examen maturitatis

cfr esuare, cacatuare, mictuare, emptuare, lectuare

##### 6.5.4.7 Adiectiva

-orius, -a, -um -arius, -a, -um -ilis, -e - -alis, -e - -(i)fer, -(i)ger; - -atus, -a, -um - -vorum, e.g. automatum \*monetivorum

#### 6.6 Re-latinizatio

6.6.1. computer - \*computatrum, -i n. ordinator - \*ordinatrum, -i n.

6.6.2. Nachhaltigkeit – engl. sustainability - \*sustentabilitas, -atis f.

#### 6.7. Verba graeca

##### 6.7.1. forma originalis

##### 6.7.2. forma latinizata

aeroplanum, -i n., \*hydroplanum, \*teleplanum (Licoppe)

##### 6.7.3. verbum neograecum (suffixum palaeograecum)

\*autocinētum, -i n. (Auto, ngr. αὐτοκίνητο(v)) , \*nēpiagōgīum, -ī n. (Kindergarten, KITA, ngr. νηπιαγωγεῖον);

\*pyraulocineticum. \*bomoplanum. \*aeroplanum. \*harma, -atis n. („Panzer“).

\*antiharmaticus. \*ruchetobolum.

\*helicopterum., -i n. - \*lāophorum, -ī n., \*sophophonum, -i n. (smartphone). teleplanum, -i n. (Drohne),

\*pyrothecium, -i n. (Patrone). \*pyrothecae, -ae f.pl. (Munition)

##### 6.7.4. Neologismus palaeograecus

Chatroom: \*dialogēum, -i n.. - +narta (Hofmann, PCE) - +scrida (Pekkanen)

\*hocceius (lusus, Iijsewijn) - +alsulegia, -ae f. (arab., sed est nomen baculi lusoris). - +musa (Banane, bot. Musa paradisiaca, fam. Musaceae) - Cocos nucifera: PLIN.nat.12,24: ariera, -ae f. - +musa, -ae f. - +arancium, -i n.

\*gongum, -i n. - musica \*iassiaca - \*kimonum, -i n.

#### 6.8. verba peregrina non-graeca

\*fata morgana, ae f. (s.ob. Georges); cursus \*amucianus (Amoklauf, v. supra del Col), \*benzinum, \*cimonum,

\*hamaca, musica \*iassiaca, lucta \*caratica, lucta \*thaequondoica.

ariera (PLIN.nat.12,24, cfr sanscr. nārikēla, praeit. nāriēra) = Cocos nucifera.

#### 6.9. Translationes mutuaticae

cfr Mit-leid - compassio – sympathia. - \*interrete, -is n. (aus: internet). matta pensilis (Hängematte), synonymon: \*hamaca, -ae f. (Petrus Martyr).

### 7. **Difficultas varia: concreta et abstracta.**

Difficultas confictionis verborum pro disciplinâ valdê vehementerque varia est. Generaliter licet dicere notiones concretas facilius in Latinum verti quam abstractas. Itaque multo facilius est notiones artis technicae aut scientiarum naturalium Latinê denominare quam notiones poeticas aut sociologicas aut psychologicas aut notiones *sociolecti* vel *ideolecti* speciales. Ceterum eae notiones difficiliores Latinê denominantur, quae iam diu in usu sunt et cuius sensus variatus est. E.g. iurisprudentia est disciplina traditionis Latinae abundantissima; itaque laboriosum et difficile est terminos technicos invenire Latinos in scriptis huius disciplinae abundantissimis.

### 8. **Auctoritas normativa?**

Cum in scholâ discipulos linguam Latinam docens iisdem narrarem de verbis Latinis novandis et lexicographiâ neolatinâ, statim ex me quaesiverunt, quisnam haberet potestatem nova verba Latina comprobandi et reprobandi, quisnam esset verus – ut ita dicam - „Papa“ *neologismorum Latinitatis*?

Quid vobis videtur, Carae Auditrices, Cari Auditores? Estne postulandum, ut Academia Latinitati Fovendae habeat auctoritatem vel potestatem verba novata comprobandi et reprobandi? Fiatne „INDEX VERBORUM PROHIBITORUM“ et estne omni operi Latino ab ALF inscribendum „IMPRIMATUR“, ut liceat publicari? Omnis res in terris habet commodum et incommodum.

**Commodum** talis auctoritatis Academiae normativae esset hoc: Impediretur, ne fieret luxuriatio neologismorum et abundantia errorum et conclusionum. Caveretur, ne fieret sermo obscurus.

**Incommodum:** Nolumus libertatem hominum restringere, quia humanistae sumus, non tyranni. Praecepta sermonis adhibendi officialia in civitatibus parum democraticis. His diebus saepius saepiusve dolorosê experimur tyrannidem „*rectitudinis politicae*“. Talis insania absit a sermone humanistarum!

Nos commendamus verba quam optimê novata, praebemus exempla et lexica quam utilissima. Patienter exspectemus, quid communitas Latine loquentium et scribentium de propositis nostris factura sit. Usus sit magister optimus.

### 9. **Programma: Lexica optabilia**

Qualia lexica neolatina nobis sint maximê necessaria? *Orbe Picto Hexaglotto* perscripto et in lucem edito proximum opus publicandum erit LEXICON GENERALE MODERNUM LATINO-VERNACULUM ET VERNACULO-LATINUM. Postea nobis divulganda sunt lexica specialia, e.g. Naturalium

scientiarum, medicinae modernae, pharmaceuticae, technologiae. Opus desideratissimum esset lexicon Latinum disciplinarum ad societatem spectantium, quae sunt sociologia, politologia, psychologia necnon oeconomia.

Videtur in Lexicographiâ Latinâ multa restare tractanda. Multa restant facienda: Oportet incohare! *Nondum est omnium dierum vesper. Per aspera ad astra!*

## ADDITAMENTUM ACROASEOS LEONIS LATINI

Verba polysemica et coniunctiones verborum:

### A) Coniunctiones verbi, q.e. machina

#### **māchīna \*abrāsīva angulāris**

396

*Winkelschleifer – angle grinder – meuleuse d'angle – amoladora de ángulo – molatrice angolare*

#### **māchīna \*abrāsīva \*excentrica**

396

*Exzentrerschleifer – random orbit sander – ponceuse excentrique – lijadora excéntrica – smerigliatrice eccentrica*

#### **māchīna \*abrāsīva taeniāta**

396

*Bandschleifmaschine – belt sander – ponceuse à bande – lijadora de banda – smerigliatrice a nastro*

#### **māchīna acū texendī**

571

*Strickmaschine – knitting machine – machine à tricoter – máquina tricotar – macchina da maglieria*

#### **māchīna \*cafeae exprimendae**

319

*Espressomaschine – espresso machine – machine à espresso – máquina de café exprés – macchina per espresso*

#### **māchīna \*cafeae īfundendae**

319

*Vakuum-Kaffeemaschine – vacuum coffee maker – cafetière à infusion – cafetera de infusión – caffetiera a infusione*

#### **māchīna \*cafeae Neapolitāna**

319

*Neapolitanische Tropfkanne – Neapolitan coffee maker – cafetière napolitaine – cafetera napoletana – caffetiera napoletana*

#### **māchīna \*cafeae percōlandae**

319

**Filterkaffeemaschine** – *automatic filter coffee maker - cafetière filtre – cafetera de filtro automática – macchina da caffè a filtro*

### **māchīna \*cafeāria**

293

*Kaffeemaschine – percolator – percolateur – percoladora – macchina per il caffè*

### **māchīna carnāria**

307

*Fleischwolf – mincer – hachoir – picadora de carne - tritacarne*

Eichenseer, Vox Latina 41, a.1975, p.86.

### **māchīna \*chartopoea**

125

*Papiermaschine – paper machine – machine à papier – máquina para fabricar papel – macchina di fabbricazione carta*

### **māchīna \*megathēcās et pēgmata ēlevandī**

745

[3. cfr Helfer, Lexicon Auxiliare, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.410, s.v. Palette: "<tech.> pegma, -atis n."]

### **māchīna +classificātiōnis**

589

*Sortiermaschine – sorting machine – machine à trier – máquina de clasificación – macchina de smistamento*

### **māchīna coquīnāria**

315

*Küchenmaschine – food processor – robot de cuisine – robot de cocina – robot da cucina*

### **māchīna \*collȳrifica**

307

*Nudelmaschine – pasta maker – machine à faire les pâtes - máquina para hacer pasta italiana – macchina per fare la pasta*

### **māchīna dispositōria**

1015

*Aufstellmaschine – set-up – quillier – disposición de los bolos – riposizionatore automatico*

### **māchīna dynamica**

672,682

*Lichtmaschine – alternator – alternateur – alternador - alternatore*

[Egger, Latinitas 1975,p.58]

### **māchīna ēlūtōria**

291,293,296,353,380

*Geschirrspüler, Geschirrspülmaschine – dishwasher – lave-vaisselle – lavavajillas - lavapiatti*

### **māchīna \*exonerātōria**

798

*Annahmemaschine – accept machine – machine de déchargement – máquina de descarga – macchina di scarico*

**māchīna fortūnāria**

1070

*Syn. machina monetivora.**einarmiger Bandit – fruit machine – machine à sous – máquina tragaperras – slot-machine***māchīna \*fresātōria verticālis**

398

*Oberfräse – roter – défonceuse – fresadora – fresatrice verticale***māchīna cubōrum glaciālium**

291

*Eiswürfelmaschine – ice cube machine – machine à glaçons – máquina de hielo – macchina del ghiaccio***māchīna \*gelātōria**

318

*Eiscrememaschine – ice-cream maker - sorbetière – heladera – gelatiera*

[cfr Georg Lurz, Societas Latina 1952, p.6]

**māchīna \*grammatosēmantica**

651

*Frankiermaschine – franking machine – machine à affranchir – máquina franqueadora – affrancatrice***māchīna hyalōs ēluendī**

293

*Gläserpülmaschine – glass washer – machine à laver les verres – máquina lava vasos – macchina per lavare i bicchieri***Māchinā lavātō in aquā calidā (60°C) et vĕlōcitāte minōre!**

425

*Maschinenwäsche, Schonwaschgang, 60 Grad – machine wash in warm water at a gentle setting/reduced agitation – laver à la machine à l'eau chaude avec agitation réduite – lavar a máquina, con agua caliente, en el ciclo para ropa delicada - lavare in lavatrice in acqua calda e velocità ridotta***Māchinā lavātō in aquā calidā (60°C) et vĕlōcitāte nōrmālī!**

425

*Maschinenwäsche, Normalwaschgang, 60 Grad – machine wash in warm water at a normal setting – laver à la machine à l'eau chaude avec agitation normale – lavar a máquina, con agua caliente, en el ciclo normal - lavare in lavatrice in acqua calda e velocità normale***Māchinā lavātō in aquā fervidā (95°C) et vĕlōcitāte nōrmālī!**

425

*Maschinenwäsche, Normalwaschgang, 95 Grad – machine wash in hot water at a normal setting – laver à la machine à l'eau très chaude avec agitation normale – lavar en lavadora, con agua muy caliente, en el ciclo normal - lavare in lavatrice in acqua molto calda e velocità normale***Māchinā lavātō in aquā tepidā (40°C) et vĕlōcitāte minōre!**

425

*Maschinenwäsche, Schonwaschgang, 40 Grad – machine wash in lukewarm water at a gentle setting/reduced agitation – laver à la machine à l'eau tiède avec agitation réduite – lavar en lavadora, con agua tibia, en el ciclo para ropa delicada - lavare in lavatrice in acqua tiepida e velocità ridotta***māchīna lavātōria**

344,353



*Waschmaschine – washing machine – machine à laver, lave-linge – lavadora - lavatrice*

### **māchīna lavātōria onerātiōnis frontālis**

378

*Waschmaschine (Frontlader) – front-load washing machine – lave-linge à chargement frontal – lavadora de carga frontal – lavabiancheria a carica frontale*

### **māchīna lavātōria onerātiōnis verticālis**

378

*Toplader-Waschmaschine – top-loading washer – lave-linge à chargement vertical – lavadora de carga superior - lavatrice con carica dall'alto*

### **māchīna \*monētivora**

1070

*Syn. machina fortunaria*

*einarmiger Bandit – fruit machine – machine à sous – máquina a tragaperras – slot-machine*

### **māchīna pābulātōria**

766

*Feldhäcksler – forage harvester – fourragère – cosechera de forraje – raccogliatrice di foraggio*

### **māchīna pulverifica**

775

*Feinmahlanlage – pulverizer – pulvérisateur – pulverizador - polverizzatore*

### **māchīna \*raffinātōria**

125

*Refiner – refiner – raffineur – refinador - raffinatrice*

### **māchīna rhythmōrum**

559

*Drumcomputer – drum machine – boîte à rythmes – máquina de percusión – drum machine*

### **māchīna \*scōpātōria**

763

*Straßenkehrmaschine – street sweeper – balayeuse – barredora – spazzatrice*

### **māchīna sēminātōria**

767

*Drillmaschine – seed drill – semoir en lignes – sembradora a chorrillo – seminatrice*

### **māchīna sūtōria**

566

*Nähmaschine – sewing machine – machine à coudre – máquina de coser – macchina da cucire*

### **māchīna tractōria**

762,764,776

*Zugmaschine – tractor – châssis automoteur – tractor – motrice*

### **māchīna tubulōs \*nucleārēs ēmittendī**

798

*Annahmemaschine – accept machine – machine de déchargement – máquina de descarga – macchina di scarico*

**māchīna tubulōs \*nucleārēs immittendī**

797,798,800

*Beschickungsmaschine – fuelling machine – machine de chargement – máquina cargadora del combustible – macchina di carico***māchīnae agricolārēs**

765

*landwirtschaftliche Maschinen – agricultural machinery – machinerie agricole – maquinaria agrícola - macchine agricole***māchīnae ponderōsae**

758

*Schwermaschinen – heavy machinery – machinerie lourde – maquinaria pesada – macchine pesanti***māchīnae superiōrēs**

540

*Obermaschinerie – flies – cintres – telares - ballatoi***B) Coniunctiones verbi, q.e. \*motrum****\*mōtrum, -ī n.***Motor – motor – moteur – motor - motore*32 (*astr.: specilli spatialis*) *Motor – engine – micropropulseur de contrôle d'attitude – motor - motore*342 (*ventilatri lacunaris*) *Motor – motor – moteur – motor - motore*374 (*aspiratri manualis*) *Motorblock – motor unit – bloc-moteur – motor – blocco motore*378 (*machinae lavatoriae*), 379 (*siccatri lavandariorum*), 380 (*machinae elutoriae*), 389 (*clavaculi aeris compressi*),392 (*serrae circularis*), 395 (*terebrae columnaris*), 398 (*fresaculi verticalis*), 408 (*compressaculi*), 411 (*terebrae**terrariae*), 413 (*sarculi motralis*), 419 (*herbisectri motralis*), 421 (*fresaculi nivalis*), 695 (*autobirotae*), 764 (*vehiculi**tractorii*), 767 (*mestri tritorii*), 776 (*turris perforatoriae petroleariae*), 895 (*harmatis*)*Motor – motor – moteur – motor - motore***\*mōtrum antliae**

345

*Pumpenmotor – pump motor – moteur électrique – motor de la bomba – motore della pompa***\*mōtrum appulsōrium**

32

*Landemotor – terminal descent engine – moteur de descente – motor de aterrizaje – motore di atterraggio***\*mōtrum \*benzīnī**

673,678

*Benzinmotor – petrol engine – moteur à essence – motor de gasolina – motore a benzina***\*mōtrum bracchiū āctīvī**

638

*Führungsschienenantrieb – actuator arm motor – moteur de guides – motor del brazo actuador – motore del braccio***\*mōtrum \*compressāculī \*turbīnātī**

680

*Motor mit Abgasturbolader – turbo-charged engine – moteur à turbocompression – motor turbocompresor – motore turbocompresso*

**\*mōtrum \*Dieseliānum**

706,727

*Dieselmotor – diesel engine – moteur diesel – motor diésel – motore diesel*

**\*mōtrum discī**

638

*Laufwerksantrieb – disk motor – moteur de disques – motor del disco – motore del disco*

**\*mōtrum \*dīvortiāle**

712

*Weichenantrieb – points motor – moteur d'aiguillage – control mecánico de agujas – scatola dello scambio*

**\*mōtrum \*ēlectricum**

339,417,419,678,683

*Elektromotor – electric motor – moteur électrique – motor eléctrico – motore elettrico*

**\*mōtrum \*ēlectricum prīncipāle**

899

*Hauptelektromotor – main electric motor – moteur électrique principal – motor eléctrico principal – motore elettrico principale*

**\*mōtrum \*ēlectricum subitae necessitātis**

899

*Notstromaggregat – emergency electric motor – moteur électrique auxiliaire – motor eléctrico de emergencia – motore elettrico d'emergenza*

**\*mōtrum \*extrānāvāle**

729

*Außenbordmotor – outboard engine – moteur hors-bord – motor fueraborda – motore fuoribordo*

**\*mōtrum gubernandī**

37

*Steuertriebwerk – manoeuvring engine – moteur de manoeuvre – propulsor de maniobras – motore di manovra*

**\*mōtrum \*hydraulicum**

762

*hydraulischer Motor – hydraulic motor – moteur hydraulique – motor hidráulico – motore idraulico*

**\*mōtrum principale**

37

*Haupttriebwerk – main engine – moteur principal – motor principal – motore principale*

**\*mōtrum prōpulsīōnis \*Dieseliānum**

727

*Dieseltriebwerk – diesel propulsion engine – moteur diesel de propulsion – motor de propulsión diésel – motore diesel di propulsione*

**\*mōtrum quattuor temporum**

680

*Viertaktmotor – four-stroke engine – cycle d'un moteur à quatre temps – ciclo de un motor de cuatro tiempos – motore a quattro tempi***\*mōtrum \*reāctīvum**

86

*Reaktionstriebwerk – reaction engine – moteur-fusée – motor a reacción – propulsore a reazione***\*mōtrum \*ruchētārium**

894

*Raketenantrieb – rocket motor – propulseur – moteur del proyectil – motore a razzo***\*mōtrum vectōrium**

707

*Fahrmotor – motor unit – bloc-moteur – grupo motor – unità motrice***\*mōtrum \*ventilātrī**

338,343

*Gebälsemotor – blower motor – moteur – moteur del ventilador – motore del ventilatore***TEXTUM****ACROASEOS ZOOMIANAE****d.2. m.Mart. a.2024****CORAM ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE****FACTAE****C.T.****»NOVIS REBUS NOVA NOMINA ESSE IMPONENDA«****SCRIPSIT****LEO LATINUS**

# DE IANO GRUTERO

HUMANISTA POLYHISTORE BIBLIOTHECARIO



## IANUS GRUTERUS (1560-1627)

[https://de.wikipedia.org/wiki/Jan\\_Gruter](https://de.wikipedia.org/wiki/Jan_Gruter)

**Ianus Gruterus** (flandricê *Jan de Gruytere* sive *Jan Gruter*, francogallicê *Jean Gruter*; \* d.3. m.Dec. a.1560 *Antverpiae*; † d.10. vel 20. m.Sept. a.1627 in villâ prope

*Heidelbergam* sitâ, quae appellatur *Bierfelderhof*<sup>1</sup>), fuit humanista, epigraphicus, paroemiologus, auctor librorum, polyhistor universaliter doctus necnon bibliothecarius.

### Vita

Ianus Gruterus filius fuit **Valteri (Wouter) de Gruutere** mercatoris atque burgimagistri Antverpiensis († a.1588 in urbe Gedano sive Dantisco) et **Catharinae Tishem sive Thysmayer** († a.1595) ex oppido *Norwich* oriundae. Familia Gruteri tempore bello Bataviae liberandae aufûgit Britanniam. Ibi autem Gruterus ex anno 1577 in Universitate Cantabrigiensi studuit iurisprudentiae cognoscendae. Postea migravit *Lugdunum Batavorum*, in cuius universitate discipulus factus est *Hugonis Donelli* et *Iusti Lipsii*. A.1584 Gruterus studium suum finivit in doctorum iuris numerum relatus. Deinde iter fecit academicum, quo per quinque ferê annos ad multas universitates migravit germanicas, francogallicas, italicas, helveticas. Itinere finito mansit in Universitate *Rostochiensi*, ubi ab a.1586 scholas habuit academicas historicas. Saepius etiam versatus est in urbe *Dantisco*.

Gruterus philologus, qui illo tempore a viris doctis magni aestimabatur, a.1590 in Universitatem *Vittenbergensem* receptus est. Ibidem factus est successor *Andreae Franckenbergeri* Professoris historiae. *Vittenbergae* Gruterus a.1591 composuit primum opus gravius, c.t. „*Suspicionum libri IX*“, in quo collegit adnotationes criticas ad varios auctores Latinos, velut *Plautum*, *Senecam*, *Apuleium*. *Christiano I.* Electore Saxoniae mortuo abolitus est *Ordo Ecclesiae Saxonicae* qui decretus erat a.1580, et membra Universitatis *Vittenbergensis* debuerunt affirmare se assentiri *Formulae Concordiae*. Itaque etiam in Facultate Philosophicâ dimidia ferê pars virorum doctorum coacta est, ut munere se abdicarent, item Gruterus, qui, ut erat affirmator humanismi moderati, conscientiae causâ huic formulae noluit subscribere.

Gruterus iit ad Universitatem *Heidelbergensem*, quo vocatus erat Professor historiae ab Electore *Friderico IV.* Ibidem in circulo iuvenum doctorum poetarumque, quales fuerunt *Martinus Opitz*, *Georgius Michael Lingelsheim*, *Caspar de Barth*, *Iulius Vilelmus Zincgref*. *Heidelbergae* Gruterus ex anno 1603 successor *Pauli Melissi Schede* direxit *Bibliothecam Palatinam*. Quo munere fungens unâ cum *Marco Welser* et *Iosepho Iusto Scaligero* publicavit omnes inscriptiones Romanas illo tempore nôtas. Cum m.Sept. a.1622 *Iohannes T'Serclaes de Tilly* cum copiis suis expugnaret *Heidelbergam*, Gruterus coactus est, ut in exilium iret. Brevi post urbis expugnationem *Leo Allaci* nuntius papalis curavit *Bibliothecam Palatinam* ferê totam magnasque partes bibliothecae Gruteri privatae confiscandas et Romam

1 Hoc nomen non spectat ad cervesiam, sed ad bacas: <http://www.bierhelderhof.de/index.php?id=38>: „Bereits im Jahre 1442 wird das Gehöft "ze **Berheldn**" in den Büchern genannt. Der heutige Name hat nichts mit dem beliebten Gerstensaft zu tun, sondern steht für eine "**Beerenhalde**" (i.q. declivitas bacarum/ruborum, rubetum declive), die sich einst an diesem schon damals beliebten Idyll mit Gaststätte und Tanzpodium fand.“

transportandas. Ibidem haec scripta usque hodie inveniuntur partes *Bibliothecae Vaticanae* graviores.

Gruterus quater matrimonio erat coniunctus et uxores et liberos amisit peste morbisque aliis. Romae in collectionibus Bibliothecae Vaticanae invenitur *Epithalamium*, quod in *Iani Gruteri* nuptias cum *Catharinâ Stöckle* Spirensi uxore tertiâ celebrandas pepigit et d.10. m.Maii a.1601 *Heidelbergae* recitavit *Antonius Praetorius*.

M.Sept. a.1967 Ianus Gruterus aetate 67 annorum in villâ q.d. *Bierfelderhof* prope *Heidelbergam* sita animam efflavit.

## Opera

Gruterus cum cetera tum collectanea conscripsit, quibus insunt opera poetarum europaeorum et proverbiorum, historiam mundi, collectio inscriptionum necnon carminum. In scriptis suis publicandis îdem vir doctus interdum usus est pseudonymo anagrammatico, q.e. ***Ranutius Gherus***.

Opera Gruteriana inveniuntur in omnibus bibliothecis maioris momenti. *Catalogi Bibliothecae Britannicae Londinensis* indicant eorundem septuaginta tria, *Francogallicae Bibliothecae Nationalis* octoginta. In catalogo interretiali (VD 17) inveniuntur 117 tituli operum Gruterianorum.

## Scripta

- *Suspicionum libri IX*. Vittenbergae a.1591 (explicationes et emendationes variorum locorum textuum auctorum antiquorum).
- Edidit ea q.s.: *Lampas sive fax artium, hoc est thesaurus criticus, quem ex otiosa bibliothecarum custodia eruit*. 6 Bände, Francofurti a.1602–1612 (collectio variorum tractatum virorum doctorum coaequalium; tomus septimus a.1634 editus est a J. Ph. Pareo).
- *Discursus politici in C. Cornelium Tacitum*. Heidelberg 1604 (commentarius realium, qui spectat ad varios locos operum Taciti).
- *Inscriptiones Antiquae Totius orbis Romani, in corpus absolutissimum redactae*. Heidelbergae a.1602–1603 (collectio inscriptionum antiquarum); 2. editio non mutata a.1616 ([Digitalisat](#)).
- sub pseudonymo, q.e. Ranutius Gherus: *Deliciae portarum Gallorum, Italarum, Belgicorum etc.* Francofurti ad Moenum a.1603–1612 (collectio poesis neolatinae).
- *Florilegium ethico-politicum – accedunt gnomae paroemiaeque Graecorum, item proverbia Germanica, Italica, Belgica, Gallica, Hispanica*. Francofurti ad Moenum a.1610 (collectio proverbiorum et sententiarum ex variis linguis excerptarum).
- sub pseudonymo Iohannis Gualterii: *Chronicon Chronicorum ecclestastico-politicum*. 4 tomi, Francofurti ad Moenum a.1614 (Zusammenstellung wichtiger Ereignisse der politischen und Kirchengeschichte).
- *Florilegium Magnum seu Polyanthea*. Band 2, Argentorati a.1624 (continuatio *Florilegii ethico-politici* a.1610).
- *Bibliotheca exulum seu enchiridion divinae humanaeque prudentiae*. Francofurti ad Moenum a.1625 (collectio versuum proverbialium ad ordinem alphabeticum redacta).

**Editiones**

- [Wilhelm Kühlmann](#) u. a. (edd.): *Die deutschen Humanisten. divisio 1: Die Kurpfalz. tomus I/2: Janus Gruter*. Brepols, Turnhout a.2005, [ISBN 2-503-52017-0](#) (collectio textuum, qui spectant ad opera et editiones Gruteri, quibus litterae antiquae et mediaevales sunt receptae)

**Litterae secundariae**

- [Conrad Bursian](#): *Gruter, Jan*. In: *Allgemeine Deutsche Biographie* (ADB). tomus 10, Duncker & Humblot, Lipsiae a.1879, p.68–71.
- Peter Fuchs: *Gruter, Jan*. In: *Neue Deutsche Biographie* (NDB). tomus 7, Duncker & Humblot, Berolini a.1966, [ISBN 3-428-00188-5](#), p.238–240 ([Digitalisat](#)).
- Leonard Forster: *Janus Gruter's English years. Studies in the continuity of Dutch literature in exile in Elizabethan England* (= *Publications of the Sir Thomas Browne Institute. Special series*, 3). University Press, Lugduni Batavorum a.1967.
- Gottfried Smend: *Jan Gruter. Sein Leben und Wirken. Ein Niederländer auf deutschen Hochschulen, letzter Bibliothekar der alten Palatina zu Heidelberg*. Bonner Universitäts-Buchdruckerei, Bonnae a.1939.
- [Heinz Kathe](#): *Die Wittenberger Philosophische Fakultät 1502–1817* (= *Mitteldeutsche Forschungen*. tomus 117). Böhlau, Coloniae/Vimariae/Vindobonae a.2002, [ISBN 3-412-04402-4](#).


**Iunctiones interretiales**

- [Druckschriften von und über Jan Gruter](#) in [VD17](#).
- [Werke von und über Jan Gruter](#) in der [Deutschen Digitalen Bibliothek](#)
- [Porträt und Kurzinformationen auf der Website der Universität Düsseldorf](#)

**Indicia singularia**

- [Immatrikulation von Jan Gruter](#) im [Rostocker Matrikelportal](#)
- [Jan Gruter leo.wv](#)





<https://mateo.uni-mannheim.de/camenaref/gruterus.html>

**Gruterus, Janus (1560-1627):** Bibliotheca exulum: Seu Enchiridion Divinae Humanaeque prudentiae. e- Frankfurt <Main>: Laz. Zetzner Erben, 1625. - [12] Bl., 891 [recte: 881] S. 12° (Die Seitenzählung springt von 766 auf 777) - Satzspiegel 11,7 x 6,8 cm - Sign.: Sch 073/124

### **Introductio:**

Magnus philologus Antverpiensis, qui ab a.1602 usque ad a.1622 direxit Bibliothecam Palatinam Heidelbergensem, hōc in opere sēro scriptum sub 767 lemmatibus circiter 30.000 collegit sententiolas morales, quae ex litteris antiquitatis graecae atque romanae, sed etiam ex scriptis auctorum recentiorum excerptae aut derivatae sunt. Tales gnomologiae iam aetate hellenismi priore erant gratae. Quibus

adhibitis mores docebantur, animi lectorum recreabantur, orationes exornabantur. Etiam humanistae ineuntis aetatis novae cupidi erant hoc genus litterarum colendi. Gruterus autem in praefatione suâ provocavit ad *Iustum Lipsium* magistrum suum necnon ad *Iosephum Iustum Scaligerum*. Gruterus ipse modo demum a.1624 ediderat collectionem prolixiorē: *Florilegii Magni, Seu Polyantheae Tomus: Formatus Concinnatusque Ex Quinquaginta minimum Auctoribus vetustis, Graecis, Latinis, Sacris, Profanis*. Argentorati: Zetzner, a.1624. Iam prius ex libris *Bibliothecae Palatinae Heidelbergensis* composuerat tres tomos *Florilegii Ethico-Politici*, in quos etiam proverbia receperat recentiorum linguarum nationalium (Francofurti ad Moenum, a.1610-1612).

Hanc autem collectionem, quam tractamus, Gruterus, qui ex urbe Heidelbergâ d.19. m.Sept. a.1622 a *Tilly* expugnatâ profugus Tubingae magno cum honore receptus erat, principibus *Virtembergiae* dedicat gratias referens. Editor iisdem commendat sententiolas memoriales tamquam comites atque protectrices in omnibus vitae itineribus faciendis. Titulus, qui est *Bibliotheca exulum*, non solum alludit ad fatum editoris ipsius speciale; idem etiam spectat ad generalem peregrinationem in terrâ faciendam. Gruterus in praefatione suâ lectori dicit (fol. 10a) se sententiarum maiorem partem excerpisse ex *Polyantheis*, quae ipse anno proximo praeterito ediderit, sed iisdem sententiolis redegisse ad novum ordinem atque formam metricam magis regularem. Post distichon (e.g. *Dionysii Catonis Disticha de moribus*) etiam monostichum erat solitum genus gnomarum metricarum. In *Bibliothecâ exulum* praevalet tetrametrum trochaicum catalecticum (versus septenarius); praeterea ibidem etiam inveniuntur septenarii iambici versûsque breviores. Gruterus cum proverbia sub titulis disposuit, non fecit greges secundum thema maiores, sed rerum peculiaritates reliquit, ut lector variatione delectatus pergeret quaeritare curiositate inductus. Praeter sententias memoriales graves, quibus agitur de mundo considerando et quae ab editore dicuntur *sub specie vitae aeternae* decere aetatem suam, sermonis elegantiae causâ recepit etiam sententiolas quae non quadrant ad moralia praecepta severa. Itaque Gruterus suadet, ne pueri immaturi hunc librum legant solum, sed ut adulti eligant dicta ad usum delphini apta. Ceterum Gruterus strictè repellit istos, qui suspicentur se in sententiolas satiricas abdidisse allusiones ad homines coaequales criticas: Omnes sententiolas a se sine additamentis ex fontibus haustas esse.

*Fridericus Hermannus Flayder* (1596-1640) Tubingensis professor, bibliothecarius, poeta in biographiâ suâ panegyricâ (*Vita, mors et opera maximi virorum Jani Gruteri*. Tübingen, 1628) breviter tractat ***Bibliothecam exulum***. Qui primo loco (p.37) praedicat, quam bene meritus sit de thesauris codicum Heidelbergensibus ad antiquos textûs edendos adhibitis et ad magnam Bibliothecam Palatinam referens addit haec:

*Quam tamen non tam per orbem universum diffundebat quam in compendium contrahebat, ut et Pauperes illam atque Exules ubique locorum, quod ejusdem Bibliotheca exulum demonstrat. Bibliothecam tamen nullam unquam meliorem habuit, quam semetipsum.*

Thesaurus sententiarum moralium hîc apparet essentia bibliothecae Germaniae maximae – quodammodo ***bibliotheca testae nucis inclusa***, quam oportet ut lector faciat sibi propriam, praesertim cum compiler ipse memoriter tenuerit illam bibliothecam multo maiorem.

Manifestum est fabricationem huius libri typographicam effectum belli solito minus diligenter factam esse. Chartâ fuscâ, pigmento parum regulariter illito, ordine textuum parum consequenti, typo nimis parvo liber originalis est difficilis lectu. Isti defectûs deminuuntur imaginibus ad rationem digitalem redactis – versio textûs pleni illorum erit expers. Scias etiam orthographiam interdum variari (e.g. *hyems* pro: *hiems*).

Nunc lege praefationem Gruterianam:

### **AD LECTOREM EXULANTEM, S. P.**

EX quo me subduxi feralibus illis Palatinatûs flammis, in Sueviâ latui, lector. Verum quod et ibidem subinde illuni nocte per aërem oculis meis incurreret lugubris incendii splendor: expertus pridem quantum ustio doleat; ideoque veritus ut hic quoque mox superveniret scintillarum volantium ignis; semper habui hunc animum in procinctu; paratus longius fugere sub personâ vel Ulyssis naufragi vel Telephi mendicantis, sic tamen, ut nihilominus subiret etiam cura, quâ huic menti suum subministraretur pabulum, suae dapes. Assuetus n. a puero epulis levioribus Calliopes, epulis solidioribus Pallados; recensque adeo spoliatus ubere illo penu Bibliothecarum, sive meae, sive Palatinae: ac certus non ubique huic famelico occurrurum forum, unde ei suppeteret victus lautior; assiduus fui noctes atque dies in cogendo ac congerendo isto, quod heic vides. Id cum sit eius generis, ut quamvis quisque inde sumat quantum velit, nihil tamen ipsi pereat; libuit tecum communicare: pluribus procul dubio, hac caritate annonae librariae, si non necessarium, at iucundum sanê, ob multiplicem suam varietatem; illis [s014](#) profecto câni capitis senibus, quibus eadem lucent sidera quae mihi; hoc est, quibus vis maior imperat, valedictis ratis ac caris omnibus, exulare post magnum climactericum. Planê aut omnia me fallunt, aut invenient heic quibus famem sitimque egregiê leniant: praesertim cum et huc quoque derivarim poculum Helenae quod Telemacho maerorum omnes maculas eluit. Quod si forte etiam iunioribus apparatus hic noster allubescit, accedant licet. Reperiente enim, cuiuscumque fuerint vel aetatis, vel ordinis; ad gustum quidem, et cupedias, et offam pipere ac melle Pietatis probê saporata; ad cenam vero, tum solidam Philosophiae

ambrosiam, tum merum Historiarum nectar: ne quid promittam de bellariis aut adeo apophoretis. Id tantum admonitos velim impuberes, ut oculos potius pascant ferculis appositis quam palatum: aut si manûs abstinere nequeunt; prius consulant adultiores. Nam sunt patellae aliquot quae fructibus sanis immixtos habent etiam aliquot minus salubres: non quod sub ipsis lateat anguis aliquis frigidus, multo minus Cleopatrae aspis: non poma quaedam intercurrunt, Sodomiticis similia, colore quidem aspectuque oculis blandientia, sed quae manu tractata in fumum eant ac [s015](#) cineres. Immo, ne quid omnino dissimulem, sunt et ibi aliquot fungorum genera, parum differentia a boletis, quibus caelum aperuit Imperatori marito Agrippina, ut taceam poculis nonnullis liquorem effusum, si non parem ei quo in filiae nuptiis Carthaginis Senatum tollere volebat Hanno, at non abeuntem nimium a venenis, quibus fontes vel amnes adversariorum inficiunt obsidentes. Nempe in excutiendis utriusque linguae scriptoribus, sacris, profanis, non tantum excerpsi omnia quae putabam huic Exuli sôla iam suffectura in viâ hac vitâque solitariâ, id est, quae spe eius ac metui modum ponerent, nec paterentur circummagi qualibet cupiditatum aurâ, quae abducerent a mundi pompâ ac phaleris ad aequabilem ac tranquillam bonae mentis stationem: etiam assumpsi nonnulla alendae saginandaeque memoriae secutus Florae candidatos, quorum hortis multa visuntur specie solâ lenonicinanda. Cui tamen, vel Parnassus vel Hippocrene nomine auditus est, a fucatis istis nihil erit periculi: per larvam n. ipsam videbit quae et qualia sint discernetque ilico succi nocentis flores ac vina, ab innoxiiis: et animadvertet haec quidem nata in paradiso rectae Rationis; illa vero in latifundiis vagae Opinionis. [S016](#) Quare, quisquis es tiro, adhuc a matris papillâ recentior, ûtere alterius dextrâ inter edendum: aut si pudet profiteri ignorantiam; adi sis Polyantheae nostrae partem tertiam ac quartam. Eam vix percurreris, quin aderit tibi Mercurii virgula, quae separet falsa isthaec a veris, fucata a puris, salubria a vîrosis. Neque id tantum: unâ eâdemque operâ patefient etiam elementa universa ac singula, ex quibus Bibliotheca haec sata ac nata. Quae libraria, num et eandem commoditatem praebitura sit hominibus uno ferê viventibus loco, et quasi adscriptitiis glebae; ut nescio: ita suspicor Regum, Principum, Rerumque pub<licarum> Oratoribus, quoties libuerit insititio otio interpolare occupationes, occursura quorum meminisse numquam paenitebit. Nam si Paroemiae, nec non Apophthegmata, Positiones, Aphorismi, Chriae, Axiomata; si Apologi, Comparationes, Imagines, Symbola, Emblemata, si clausulae, Epiphonemata, Sententiae, Effata, Gnomae, aevorum priscorum, eam consecutae sunt auctoritatem ne an maiestatem, ut pleraque voluerint, vel caelo delapsa, vel prodita oraculis, si septem Graeciae Sapientes, nullâ re magis immortalitatem memoriae suae sustentant, quam pauculis Proverbiorum versibus, [s017](#) iisque ipsis eam adepti sunt venerationem ac dignationem apud Philosophos Oratores, aliosque, ut certatim monumentis ingenii sui postremis eadem inseruerint, ceu uniones, ceu carbunculos; si denique ad persuadendum necnon ad decus et venustatem orationis, id potuerunt quod Minervae calculus, quod cerebrum Iovis; Myriades sanê et iste gratiam quoque ac pretium aliquod invenient apud mentes

discendi cupidas: utpote quae Sophorum superiorum dicta complectantur universa et singula, sacrarioque praeterea suo admiserint quidquid uspiam exstat in hactenus publicatis Auctoribus antiquis, vel inventione acutum, vel enuntiatione eximium, vel venere gratiosum. Intercurrunt quidem centena aliquot, quae et vitam suam et vestem propriê debent huius superiorisque saeculi ingeniis illustribus, eaque propter potuissent insigniri ipsorum nomine: sed cum et opera eorum publica sint, et ipsi eâ famae fruuntur excellentiâ quâ merentur; verear ut notam hanc nostram dedecori potius sibi ducerent quam honori. Ceterum, quanti huius seminis scintillas duxerit *Iosephus Scaliger*, nemini ignotum esse poterit, qui vidit *Dionysii Catonis* disticha de moribus, qui P. [s018](#) Syri selectas sententias; ab illo ipso ante viginti aliquot annos publicatos neque enim satis habuit tantus ac talis vir anno suo ferê septuagesimo has exprimere versibus Graecis; illa vero emendatiora reddere quam fecerat Planudes: sed non semel in notis suis ibidem profitetur, talia nunquam deponenda de manibus, non puerorum tantum, sed et Doctorum; miraturque cur non frequententur in scholis; ac subicit: Nostro exemplo excitentur nobiliora ingenia ad bene de puerorum studiis et moribus promerendum; quorum utrimque magnus neglectus. Non mentiris, vir maxime: tecumque sentit *Iustus Lipsius*, cuius, in Epistolis tale est vaticinium: *Si sic pergitur, doctrinae melioris nomen Europae subducetur, et barbaries et sordes erunt, quae Aui nostri viderunt*. Fit, Lipsi, quod detestabar; neque gradu sed ex passis velis suo mari ad nos ruit, non una Harpyia: cui si ut ego Remorae more esse potero impedimentum non parcam huic operae meae, si non; at feci quod potui. Porro scias lector, comparere etiam unam alteramque Myriadem versuum in Polyantheae nostrae parte primâ ac secundâ ante semestre publicatâ, sed diversa tamen est ab istâ utraque. Prioris enim illa Monosticha, talia ferê sunt, qualia inveniuntur in libris, certê [s019](#) paucissimis eorum addidi manum, ut speciem aliquam praeferrent carminis. At hâc libello nullum exstat Trochaicum, nullum Iambicum, cui non sint pedes sui legitimi: nisi quod aliquando, antiquioribus suam relîqui figuram. Unde occurrit: Noster esto, dum te poteris defensare iniuriâ, e Plauto; item: fictile vulgus ad fortunam simul offendit frangitur, e Phaedro scil. Verum talia heic oppido sunt pauciora; ideoque potissimum a me relicta, quod arbitrabar, mutilandum potius versum, quam dictum rotundius.

At de concinnitate Carminum nostrorum quid tibi pollicear, lector? Praeterquam n. quod opellam plane agnosces tumultuariam; iam audiisti natam mihi tempore non meo; cum videlicet sagena quasi, circumcingerer vel ferro vel igne stratiotarum, et alioqui quidnam exspectari queat egregii, ab homine extorre, sine lare, sine foco; quaero qui me doceat. In id praecipuê incubui, ut ab adstrictâ hac sex septem verborum brevitate, abesset tamen et nox et nebula.

Ad titulos quod attinet, secutus quidem sum ordinem Alphabeticum: sed tantum abest ut omnia cellis suis incluserim quae poteram; saepius ea sparsi per totum opus, tamquam si in [s020](#) huiuscemodi maximê servaretur ordo, cum minimê appareret. Hinc videbis, lemmata *Aurorae, Diei, Horarum, Lucis, Vesperi*, quae non insulsê



intulissem horreo Temporis: sed nolui: haud quod eo ipso viderer aliquid habere commune cum ingeniis paedagogicis; sed quia in copiâ tam grandi metuerem tuum fastidium: sciremque gemmas multas in unum coactas angulum, minus spargere lucis. Similes captavi hallucinationes, titulis Capitis, Cordis, Manûs, Oculi, Frontis, Oris, etc. Item Florum, Sôlis, Fontis, Fructûs, Radicis, Agriculturae, Navigationis, Gubernationis etc. quibus singulis adsignare potuissem peculiarius domicilium. Sed malui stellas similitudinum tam insignes splendere per totum Theatri nostri caelum; ne ulla scilicet extaret plaga, sine astro primae magnitudinis: immo etiam ne ignavior aliquis, contentus legere capitis unius flores ac fructûs, a ceteris abstineret, tamquam sterilibus. Hinc etiam factum est, ut eis quae ad Deum, ad Principem, pertinebant, primorem quidem locum dederim versibus Trochaicis, sed non etiam Iambicis. In summâ, lector, ubicumque proieceris hamum tuum, inde etiam ilico extrahes piscem minimê expectatum. [S021](#) Occurrunt frequenter dicta dentis satyrici: sed eis nihil dedi, nisi suos pedes, neminem mortalium tangere volui. *Omnibus idem*. Neque est quod quis moveatur voculâ *nunc*, vel *hodie* subinde obviâ, et eam sumpsi a veteribus: quemadmodum notum erit omnibus qui vel a limine ludum salutarunt literarium. Exempli gratia; dictum: *Ecquis isto maior aevo nascitur parentibus?* Quis nescit usurpatum et Homero, et mille aliis? Ut et illud *Iam Dei omnes segregantur rebus a mortalibus*, ab Hesiodo, ab Catullo, ab nullo non prolatum haud minus quam; *dedecus iam nemo curat integrâ pecuniâ*, de quo videatur Suetonius in Iulio cap. 42. Nam illud, *Quis pius nunc, quis fidelis? quis favet menti bonae?* vel Seneca sibi asseret, questus alicubi, menti bonae si venalis foret defuturum emptorem. At istud: *Iam sedent panem petentes divitum ad fores Sophi*, minus verum: nisi Sophum, sumamus pro Sophistâ, aut Poetastro, nam tales, ut olim, ita et nunc quoque, parasitantur ubique ditioribus, quamvis nolentibus, aut verê Philosophus, tantum abest, opes quaerat aut dignitatem: paupertatem ultro appetit, manuque facit, tales Homerus, Heraclitus, Empedocles, Anaxagoras, Diogenes, Crates, alii: quorum quidam si panis petendus [s022](#) erat, eos adibant qui vivebant ostio vel de nocte aperto: certê numquam conspiciebantur ante duras magnatum fores: quidam praeoptabant obstructâ quasi gulâ mortem sibi potius accersere inediâ, quam a regiae dignitatis discipulis verbulo uno supplicare vitae necessaria. Quare si aliis forte aliisque locis, voces aliquot longius a vero abierint, quam aut ratio fert, aut decôrûm; habeat eas, lector, pro figuratê dictis; vel prolatas ab eis quibus imperabat sive affectus sive opinio. Sanctê namque affirmo, nihil mihi dictum in quemquam mortalium: quin contra, datâ operâ, ita maxima minimaque heic formata volui; ut ire possent per quascumque et regiones et religiones. Tu lector crede, atque abi, satis dixi aequis: iniquis numquam dixerim satis.

## PROVERBIA QUAE SPECTANT AD FAMEM.

Est ubi fames, ibi ira numinis praesentior.  
A malo rege exoriri civibus solet fames.  
Vincere absque proelio hostem rex cupis? Premas fame.  
Ah, miser, qui sub flagello vapulat siccae famis.  
Efferae famem haud sequuntur, sed rabiem mentis feram.  
Ensis est fames acutus; quidquid urget perforat.  
Et voluptas in polenta est inque aqua famelico.  
Fer famem sitimque hydropa si cupis tolli improbum.  
Millies perire bello malim in urbe quam fame.  
Non potest vulgo imperari cui fames atra imperat.  
Pellitur fames quoque esu fructuum passim obvio.  
Principatus esuritor, esse quei queat satur.  
Promptiusque servulo hydrops tollitur quam libero.  
Saepe totas dolet urbes grandior morbus famis.  
Semper in metu est avarus ne opprimatur a fame.  
Fame mori mors omnium ignavissima.  
Fames sitisque, rex inexpugnabilis.  
Haud maior ullus urbium morbus fame.  
Mori fame mors omnium ignavissima.  
Mortis genus miserrimum omnium fames.  
Nemo caninâ vescitur nisi in fame.  
Nil cibum adaeque condit ipsa quam fames.  
Non respicit fustem ullum asellus in fame.  
Numquam a mala fame periculum Indiae est.  
Quod nemo quibat saeva persuasit fames.  
Furum omnium ruina post famem imminet.

---

p.301, [s325](#)

Solatium omne grandior spernit fames.  
Ubi fames est, iram ibi scias Dei.

**Horati Antoni Bologna**

# **L A T I N A   S I R E N**



**Elegiarum - poematum - epigrammaton  
libri**

**MOX EDETUR  
OPUS HORATII ALTERIUS  
NOVISSIMUM:**

***TOLLE LEGE HELLUARE !***



# PRAEFATIO LATINAE SIRENIS

quam scripsit

NICOLAUS GROSS

»...cum res, tum eventa animum ita commoverunt ut abstinere me non possem, quin, calamo arrepto, quid praecipuis illis tempestatibus sentirem nulla interposita mora conscriberem... Ideo praeter amorem, qui potissimum obtinet locum, omnia fere aetatis nostrae eventa ita animum moverunt, ut me abstinere non potuerim, quin illa canerem.«

HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA<sup>1</sup>

A Poetâ Laureato rogatus ut operi suo novissimo verba praefarer commendaticia, libenter quidem concedo optato amici benevolo, tamen cavendum mihi esse videor, ne *noctuas Athenas feram*. Nam quid ego novi novoque modo afferam ad artem artificis excellentissimi laudandam, qui Praemio Capitolino et Vaticano permultisque aliis honoribus ornatus necnon eximiê laudatus est a talibus viris artis poeticae me multo peritioribus, quales sunt *Marius de Nonno* et *Michael de Albrecht*? Quorum unus Poetae nostro Tammarigenae nomen imposuit ALTERIUS HORATII maximê honorificum<sup>2</sup>, alter multis exemplis dilucidê atque persuasibiliter demonstravit, quam scitê, quam aptê, quam admirabiliter antiqui Horatii illius numerositatem imitari sciret alter hic Horatius modernus<sup>3</sup>.

Equidem quo merito laudando Antonium amicum dignabor quam decentissimê? Mihi *Patris Caelestis Eichenseer* discipulo ex plus quadraginta annis *Latinitatis vivae* defensori maximê oportere videtur, ut exponam, quatenus Horatius redivivus meritis sit de Latino sermone resuscitando. Cum ex pluribus annis commercium habeam epistularum cum Horatio Antonio iucundissimum, bene scio, quam arto vinculo eiusdem dicta, facta, vita necnon poesis coniuncta sint cum sermone Latino non solum legendo, sed etiam loquendo atque scribendo. Poeta ipse narrat in Vitâ suâ tomo *Carminum* praepositâ, quantâ cum animi inflammatione semper studeat res eventaque, quae expertus sit, litteris Latinis mandare. Nuper mihi per litteras narravit, quomodo sibi contigisset, ut collegae cuidam utilitatem *Latinitatis vivae* prorsus neganti persuaderet etiam nostrâ aetate operae pretium esse Latinê docentibus Latinê loqui atque scribere:

1 Horati Antonio Bologna, *Carmina Latina. Vita poesi dicata*. Roma, Libreria editrice Viella, 2022, p.1; p.7.

2 cfr Mario de Nonno, Pontificiae Academiae Latinitatis Praeses Linguae Latinae Professor: "*Ti esprimo profonda stima per il discernimento da te messo in opera, e ti confermo senz'altro l'amicizia e l'alto apprezzamento per le tue qualità di alter Horatius*".

3 cfr Michael von Albrecht: Praefatio, in: Horati Antonio Bologna, *Carmina Latina. Vita poesi dicata*. Roma, Libreria editrice Viella, 2022, p. XIX: „*Fortuna autem prospera accidit, ut hic Horatius noster et Italus sit et in ipsa Urbe vivat et docuerit. Cui Magna Graecia os formavit rotundum, fluvius paternus ubertatem tradidit lacteam, oratorum poetarumque assidua lectio inventionis elocutionisque praebuit facilitatem. Audiant igitur omnes gentes inter tot armorum mendaciorumque strepitus poetam armis militiaeque infestum, paci caritativae deditum, veritatis amicum, Italiae filium, Romae aeternae amorisque cantorem.*“

»In quodam consilio, discipulis parentibusque contra scholasticas rationes repugnantibus, clarus ac doctus professor, omnibus mirabundis, ad discipulorum parentumque favores sibi conciliandos, impudenter atque imprudenter est necopinato dicere ausus: ‚Romanorum Imperio a barbaris deleto, qui poeta, qui rerum gestarum auctor, qui doctus umquam rite est lingua Latina usus? ... Linguam Latinam, mea sententia, e scholis omnibus, ex hominum consortio atque societate, ne discipulis nostris amplius damno sit, esse omnino eradicandam puto‘. - **Quibus auditis, ipse, admodum paucis collegis faventibus, non verbis sed exemplis sum repugnare conatus.** Paucis enim post mensibus, Certamine Capitolino celebrato, ipse quodam carmine, hexametris exarato, victor evasi et collegam a. d. XI Kal Maias illius anni in Capitolium duxi, ubi in sumptuoso conclavi sum ab Urbis cognitore Lupa Capitolina ornatus. Eodem quidem anno, a victore proximus cum evasissem, collegam obstupefactum, ut me ad Certamen Vaticanum comitaretur oravi. Qui, cum Carolum Egger, Operis Fundati Latinitatis Praesidem ac Moderatorem, et innumeros alios doctos viros Latine loquentes, actores fabulam tragicam Latine recitantes audiret, quosdam poetas et scriptores diplomatibus et nomismatibus exornatos vidisset, diu mutus mansit. - Certaminis autem sollemnibus exactis, collegam in amplum cubiculum saluatorium, ubi innumeri hospites Latine inter se fluenter loquebantur, facetias quoque inter crustulas et popinas narrabant, libenter duxi. Qui, cum Curiae Riariae mirabilia conspexisset et innumeros mihi Latine gratulantes vidisset, se infamiae pudit et paene lacrimans dixit: «Omnia erravi. Tui gratia nunc reapse scio linguam Latinam adhuc vigere!». Insequenti die omnia discipulis singillatim enarravit eosque in proximum annum ad Certamen Vaticanum se ducturum promisit.«

Horatius lepidè vividèque narrat, quomodo ipse magistris prima rudimenta artis suae poeticae monstraverit et quam difficile sibi fuerit cursum honorum poeticum incohare et quales fuerint primi gradûs sui ad Parnassum ascendendum. Animo commoto lêgi narratiunculam de primis versibus, quos iuvenis Tammarigena de morte *Rosalinae* filiae Professoris sui tristissimâ pactos eidem obtulerit:

»...ineunte mense Decembri, cum Lyceum petiturus essem, professoris filia, Rosalina nomine, ante patris oculos est raeda automataria necata. Necopinatus et tam luctuosus casus, ut par fuit, omnium discipulorum animos ita turbavit, ut abstinere se non potuerint, quin lacrimas effunderent. - Cum autem domum essem contristatus reversus, diu ob dirum puellae casum flevi. Lacrimis fluentibus, quosdam versus Sapphicos, quos sum infra transcripturus, in mente resonantes audivi:

*Montium ridens, Rosalina, murmur  
dulce te clamat, suboles divina.  
Te Deus fecit rapuitque fatum  
funere acerbo.*

*Quos versus, qualescumque sunt, tanta panxi facilitate, ut sim ipse miratus eosdemque mollem et mirum ob numerum diutius adhibere noluerim. Eosdem mecum diu custodivi, donec aliquot post diebus animo suspenso manumque incerta professori ad animum*

*solandum tradidi. Qui, discipulis omnibus tacentibus, cum aequalibus silens expectabam et timebam, ne innumera ob menda obiurgarer, quia tum severi professores erant. Lacrimis tandem detersis, voce incerta dixit: ‚Pulcherrimos versus, Horati, scripsisti. Tam dulces mihi patri videntur, ut a lacrimis temperare nequeam. Strophen tamen, cum admodum iuvenis sis et imperitus, unum tantum vitiat mendum: divina enim priorem i, quam tu brevem putas, natura productam praebet. Nihilo minus in natae sepulcro eos incidendos curabo. Tibi gratias ago.‹*

Sanê commoveor et laetificor vividâ narratione Horatii nostri, quâ probê depingit mores professoris sui alioquin severissimi syllabarum aucupis fortasse Orbilio haud imparis, sed de filiae obitu maerentis, de carmine consolandi causâ a discipulo sibi oblato gaudentis, qui tantâ clementiâ ignoscat mendum eius metricum, ut curet carmen immutatum sepulcro incidendum. - Laude magistri iuvenis Tammarigena vehementer gavisus novâque spe imbutus tamen non statim assecutus est adiumentum sibi a Professore praeside promissum, quod Horatius noster nobis enarrat alteram scaenam vividam nobis ante oculos ponens:

*›Insequenti autem die in praesidis sedem, ut iussus eram, tremebundus contendi. Qui, mihi obviam veniens, inquit: ‚Sedeas, quaeso, et aliquantulum exspecta, quo maiore cum tranquillitate loqui possimus. Hesterno die, uti scis, quidam lycei mei alumnus, qua de causa nescio, aequalem cultro vulneravit. Istum a lyceo expellam oportet. Quid rudis diurnarius in actis scripserit, ipse legas, quaeso‘. Quibus prolatis, ira incensus exiit. ‚Pessimum diem mihi fatum dedit‘, mecum dixi.‹*

En miserum Horatium spe denuo deceptum! Sed praeses professor multo post reversus tandem iuveni offert liberalissimê suis sumptibus Horatium posse quater vel quinquies in menses Neapoli apud professorem rei metricae doctissimum discere. O quantum gaudium!

Horatius Antonius Bologna nequaquam est pusillanimus imitator poeseos antiquae, sed est resuscitator sermonis antiqui, qui antiquorum verba metra tropos figuras sollertissimê adhibens sibi appropriat suo more suâque ratione, ut res eventaque suae aetatis et experientiam vitae suae et sensûs cogitataque sua exprimat atque depingat quam verissimê. Nam *homo est et nil humani a se alienum putat*; eiusque *operi multa insunt lumina ingenii, multae tamen artis*. Transibunt *versifices et aucupes syllabarum*, transibunt *Zoili et Thersitae et calumniatores et vitilitigatores*, sicut *transit omnis gloria mundi*: permanebit ingenium alterius Horatii, poetae Tammarigenae. Nam – ut legitur in Appendice Vergilianâ - *vivitur ingenio: cetera mortis erunt*.


Tu autem, *Candida Lectrix, Candide Lector: Tolle, lege: intende: laetaberis*. Hælluare h c lepido Horatii novo opusculo, quod est documentum artis poetandi admirabilis necnon sermonis Latini vividissimi.

**Nicolaus Gro **  
**LEO LATINUS**

Dabam Senden ex oppidulo Bavariæ Suebicae d.2. m.Maii a.2024

# DE TAMMARO FLUVIO

DEQUE ALTERO HORATIO POETA TAMMARIGENA



«Tamarus hic nobis, alto qui gurgite servat  
divitias magnas, tam bona multa feret.  
Conditor aeternus rerum custodiat aevum  
te longum, quia tu, Tammare, dona dabis!  
Tu bonus es nobis, quoniam tu corpora nostra  
mirificis donis, fructibus uber alis.  
Auxilio natis semper sis, Tammare, magno;  
tu nobis donas, unda quod alta tegit».





*“Ti esprimo profonda stima per il discernimento da te messo in opera, e ti confermo senz’altro l’amicizia e l’alto apprezzamento per le tue qualità di alter Horatius”.*

**MARIO DE NONNO**  
**Pontificiae Academiae Latinitatis Praeses**  
**Linguae Latinae Professor**

\***Tammarigena**, -ae m. cfr MART.9,35,4 Rhenigena, -ae c.

**I**

***In parentum memoriam***

Fructibus inclemens aluit me flumen acerbis:  
 Tammarus ingratus commoda parva dedit.  
 Qui violens nassas rapuit lymphaque minaci  
 conatus memet mergere saepe furens,  
 cum puer in liquidis ludebam solus in undis, 5  
 turbabam placidam verbere promptus aquam.  
 Gramineas ripas, scopulos litusque profundum  
 populus abscondit tegmine celsa suo.  
 Praerupti scopuli cingunt nunc stagna refusa,  
 nunc rapidos cursus, quos pecora aegra petunt. 10  
 Huc ducit violenta sitis per prata iuventam,  
 corpore quae sordes vespere pellat aqua.  
 Fluminis in lymphis quotiens periere puelli,  
 gurgite quos miseros unda voravit iens. 15  
 Insani voluere rapi, sine cortice nantes,  
 insidiis capti, mente carente metu.  
 In campis fluvium propter me degere vitam  
 iusserunt puerum fata maligna diu.  
 Hic diram tolerare famem, tolerare dolores  
 paupertas docuit me miseranda silens. 20  
 Virtutes didici magnas, ferventibus agris  
 aestivo Phoebo, solus acerba ferens.

Hic pecus aequoreum stagnis ingentibus errat,  
 caeruleis pennis aequora lata quatit.

Lanigerum pecus huc ducit defessus arator, 25  
 huc validos tauros cornigerasque boves.  
 Indomitus genitor sociae natisque tenellis  
 nutrimenta refert ipse labore suo.  
 Tammarus ipse suis alimenta referre solebat  
 immotis lymphis, nocte silente, frequens. 30  
 Qui labor ille, pater, fuerit tibi noctibus udis  
 auxilio dicas, **ripa et arena**, precor.  
 Mensibus in gelidis quotiens tu nudus in amplis  
 mansisti scopulis, imbre cadente, pater!  
 In fluvii lymphis noctu captare solebas 35  
 vel querulas ranas caeruleumque genus,  
 qua rapidae saliunt lymphae piscesque leguntur:  
 hic anguilla latet, pascua et antra petit.  
 Lenibus in scopulis venator pandere nassas  
 nocte soles, Zephyro gurgite flante super. 40  
 Anguillas piscesque cupis captare misellus  
 nocte, quibus solus pellere damna potes.  
 Qui noctes agis et multas, pater alme, sonoris  
 fluminis in ripis, nocte ferente gelu.  
 Ignibus hic quotiens pellebas frigora cruda 45  
 arboris ad truncum, mente petente domum.  
 Obscurum caelum pater unus, lumina cuncta  
 conspiciebat, opus noctibus ipse gerens.  
 Servabas nassas et solus retia parva,  
 depellens fures nocte dieque vagos. 50  
 Anguillas pisces vendebas impiger, acris  
 percurrens valles, oppida, rura, vias.  
 Haud raro capis et nassis laqueisque retortis  
**squamosos angues**, quos alit unda ferax.  
 Piscibus impositis humeris, nassasque relinquis 55  
 vepribus in densis, quos levis unda lavat.  
 Rus peragrans solus, fingis felicia mente,  
 divitias spernis, laetus honesta cupis.  
 Maestitiam raro praebebat vultus in arvis,  
 cum tua conspiceret munera tanta, Ceres. 60  
 Cum cuperes vinum, raro tua tempora Baccho  
 vespere rorabas, sole ferente sitim.  
 Rura gravis peragrans, pernix longinqua petebas,  
 incertus quaerens, tegmina tuta, specum,  
 cum Phoebi radios cuperes vitare cadentes, 65  
 solus agis durum pondere lassus iter.  
 Oppidulo ingrato, genitor, captare solebas  
 vorticibus pisces, retia grata trahens.  
 Anguillis missis raro gravis aere redibas  
 incertis gradibus, munera parva ferens. 70

«Sospite me, puer hic numquam piscator habendus!  
 has fugiet nassas!», protulit ipse frequens.  
 «Quam miseram mihi committunt mala numina vitam,  
 tu, puer, ignores tristia tanta, precor.  
 Nullus erit locuples aptam qui praebeat escam, 75  
 qua pellam miseram vespere prole famem.  
 Tammarus hic nobis, alto qui gurgite servat  
 divitias magnas, tam bona multa feret.  
 Conditor aeternus rerum custodiat aevum  
 te longum, quia tu, Tammare, dona dabis! 80  
 Tu bonus es nobis, quoniam tu corpora nostra  
 mirificis donis, fructibus uber alis.  
 Auxilio natis semper sis, Tammare, magno;  
 tu nobis donas, unda quod alta tegit».  
 Tammarus ipse fuit, genitos qui mutus alebat: 85  
 caeruleae lymphae nos refovere diu.  
 Fructibus e fluvio ductis statuere parentes  
 pellere felices, prole petente, famem.  
 Nulla pater cupiit magno tum pectore regna:  
 pauperiem duram praetulit ipse silens. 90  
 «Tammarus ipse cibum tribuet generosus in undis  
 quem servat vitreo gurgite, crede, puer!  
 Paupertas nobis quoque nocte putatur amica;  
 prompta venit semper, mente parante bonum.  
 Prata vides tu, nate, silens: sunt parva, misella. 95  
 Illa ferent segetes, dulcia poma, dapes.  
 Nocte cubo vigilans gelidas ad fluminis undas,  
 vimineas nassas, retia parva tuens».  
 Quae lacrimans ais ipse silens, properante per arva  
 siderei caeli sole virensque nemus. 100  
 «Immites pecudes patulis servabis in agris  
 tu numquam, tauros indomitosque boves.  
 Docta soles hominum solus volitare per ora  
 muta; tuas laudes invida corda ferent.  
 Doctorum prolis praeceptor clarus haberis, 105  
 Castalio fonti solus amicus eris.  
 Donarunt corpus divi tibi, nobile pectus,  
 infirmum quod erit, virgine dante dapem.  
 Hospitibus Veneris magnas praebentibus ipse  
 delicias gestis, nocte cadente, libens. 110  
 Blanditiis frueris, mulier quas una ministrat:  
 artibus illa viros decipit atque capit».  
 Commotusque taces, lacrimis manantibus. Humens  
 defluit ex oculis gutta, madente gena.  
 Sublatis manibus sic Christum orare solebas, 115  
 expertum quoniam tristia pectus erat:  
 «Te precor his, Pater omnipotens hominumque Redemptor,  
 pro nato verbis: “Parce, benigne Deus:



parce bonus puero tenero, Tu, parce nefandis  
 peccatis. Illi crux siet una salus. 120  
 Ne mulier veniat, pectus rapiatque maligna,  
 Te, Pater Omnipotens, Christe benigne, precor".  
 Te voco, quae Christum, dulcissima Virgo, tulisti  
 in gremio sancto, munera tanta refer:  
 hunc natum vitet mulier, quae damna parabit 125  
 crudelis, diro dente nocebit ei.  
 Vipereum mulier secum tulit ipsa venenum,  
 quo, ducente viro, membra tenella vorat».

Detersis oculis, manibus pueri ipse movebas  
 intonsos crines, ore loquela fluens: 130  
 «At iuvenis fortis maneat, veniente procella:  
 conspice sidus, erunt dona benigna Dei.  
 Deliciis ornare potes fragilissima vitae  
 tempora, quae fugiunt flamen ut acre, puer. 135  
 Sed praeclarus eris populique per ora volabis;  
 me laetum faciunt munera sancta Dei.  
 Perge, puer: te vita docet, quae coepta per annos  
 labentes uni sint facienda tibi».

Quae promissa pater potuisti solvere laetus,  
 per fluvium rapidum retia nocte trahens. 140  
 Invitus puerum ducis me texere nassas,  
 quae viburna doces carpere posse libens.  
 Quas artes didici, genitor, cum laetus in arvis  
 degebas vitam, gramina lenta legens.

Multa puer didici, genitore docente, per arva, 145  
 sed pastor numquam, patre volente, fui.  
 Quae dederit mihi dona Deus, iam conspicer ipse,  
 hac aetate silens, tempus inerme fugans.  
 Sed venit tempus, tantum quod munus acerbe  
 abstulit hoc aevo, morte premente patrem. 150  
 Gaudentem tenet ille malus felicibus Orcus  
 coeptis, dum genitus clara per ora volat.  
 Marmoreum tenet ossa patris mutumque sepulcrum:  
 ornatur lacrimis, lumine, flore, prece.

Hic iacet et genetrix, semper comitata maritum. 155  
 Advena miretur: verba suprema monent:  
 HIC AVIDA MORS ATRA MANV TENET OSSA PARENTVM  
 QVOS NATI FLENTES HOC POSVERE LOCO  
 QVI FVERINT MALA QVAE TVLERINT QVAE VOLNERA FATI  
 TAMMARVS ET RVPES ARVA MISELLA DOCENT 160  
 HOSPES SISTE PRECES FVNDAS PRECOR IPSE BENIGNVS  
 MVNERIBVS DONET TE DEVS VNVS ABI.



## TAMMARUS

Tamarus ille suis aluit me, Iulia, lymphis.  
 Tamarus ipse pater prodigus aere fuit.  
 Quem fluvium veneror, litus rupesque virentes,  
 qua didici primum multa superna puer.  
 Praeruptis puer in scopulis, ubi Tamarus ingens 5  
 flexibus incertis lentus inersque fluit,  
 aetatem duxi teneram, ministrante parente  
 propter aquas miseras, vilia dona, dapes.  
 Piscatur fuit ille miser, mea Iulia, vita 10  
 egit quam tota, vinctus amore sui  
 sollicito geniti, superi quem multa per agros  
 aequoreos laeti perdocuere bona.  
 Ferre merum vinoque novo libare, cadente  
 nocte, decet misero, Iulia casta, mihi: 15  
 hic ideo fluvio signum ponamus et aram,  
 marmoreum templum virgineumque chorum,  
 fructibus inclemens quamvis me flumen acerbis,  
 Tamarus ingratus commoda nulla dedit.  
 Gramineas ripas, scopulos litusque profundum 20  
 tegmine contextit populus alta suo.  
 Squamigerum pecus in stagnis torpentibus errat,  
 caeruleis pennis aequora parva quatit.  
 Lanigerum pecus huc ducit defessus arator,  
 huc validos tauros cornigerasque boves. 25  
 Hic pater invenit sociae natisque tenellis  
 aegre alimenta suis ipse labore gravi.  
 In fluvii lymphis noctu captare solebat  
 clamosas ranas caeruleumque genus.  
 Qua rapidae fluitant lymphae piscesque leguntur,  
 hic anguilla manet, pascit et antra petit. 30  
 Lenibus in scopulis nassas laxare venator  
 nocte solet, zephyro flante per arva levi.  
 Anguillas piscesque cupit pater ipse misellus  
 ferre domum, ut fati tristia dona fuget.  
 Quam multas egit noctes pater ipse rigentes 35

fluminis ad ripas, vere ferente gelum. Eu quotiens igni pellebat frigora noctis, arboris ad truncum, mente petente specum. Sidereum caelum pater unus, lumina cuncta conspiciebat, opus noctibus ipse gerens.	40
Retia vel nassas vigilis servabat et unus pellebat fures nocte dieque silens. Vendidit anguillas quotiens piscesque, peragrans defessus villas, oppida, rura, vias.	45
Haud raro capit et nassis laqueisque retortis angues pestiferas, quas alit unda feras.	
Heu quotiens nassas latuit dira anguis in amplas pestiferum corpus terribilesque globos. Heu quotiens mater animalia tanta necavit, falcibus arreptis vulnera multa ferens.	50
Anguibus occisis, tristis remeare solebat ipsa domum miseram, prandia parva parans. Piscibus impositis humero nassisque relictis vepribus in densis, lene peragrat iter mane pater solus, opera tam lassus et alta oppida, purpureo sole micante, petit.	55
Quae peragrans, natis fingit felicia mente, divitias spernit, laetus honesta cupit. Oppida cum celerique gradu longinqua petebat tum leni, quaerens tegmina tuta specus, cum solis radios vellet vitare molestos: pondere defessus solus agebat iter.	60
Civibus ingratis genitor captabat in altis gurgitibus pisces, retia parva trahens. Piscibus anguillisque datis, gravis aere redibat nonnumquam, natis parvula dona petens.	65
«Progenies piscator erit, me sospite, numquam, oderit has nassas», secum ait ille frequens. «Quam miseram mihi nunc dederint mala numina vitam, tu, Deus, ignoras, tristia tanta mihi.	70
Nullus adest hominum dives, qui praebat unus quo pellam miseram munere prole famem. Tammarus unus adest, alto qui gurgite servat divitias magnas, tam bona multa mihi.	
Aeternum Deus omnipotens benedicat in aevum, Tammare, te, quoniam commoda multa refers.	75
Tu deus es mihi, tu quoniam mortalia corda anguillis, ranis, piscibus unus alis. Suppeditas proli victum donumque supremum, tu miseris praebes unda quod alta tenet.»	80
Tammarus unus erat, qui nos generosus alebat: caeruleus numquam rivus avarus erat.	

Piscibus in fluvio captis potuere parentes  
 felices genitis suppeditare dapem.

Numquam magna pater concepit pectore regna: 85  
 contentus parvo, despiciebat opes.  
 «Sufficiunt nobis miseris quae Tammarus unus  
 suppeditat noctu, iugera parva die.  
 Tempore paupertas, ait ille, videtur amica,  
 cara mihi, vita praetereunte, fuit. 90  
 Iugera, quae tu, nate, vides, quae parva videntur,  
 te faciunt laetum, munera magna ferent.  
 Noctibus ipse cubam liquidas prope fluminis undas,  
 rete tuens vigilis, rura dieque colam».

Haec dixit lacrimans, resonis tum vocibus addit, 95  
 conspiciens caelum, prata serena, nemus:  
 «Lanigeras pecudes numquam servabis in agris;  
 iugera versabis vomere nulla gravi.  
 Laetus conspiciens hominum volitare per ora  
 clara tuum nomen, gaudia corda tenent. 100  
 Nobilium vigilis fies praeceptor, amicus  
 Castalidum teneris Pieridumque choris.  
 Nobile cor dederunt divi mentemque sagacem  
 Nocte tibi fiet doctus Apollo comes

Ast animus, donis visis, fortissimus esto: 105  
 conspice tu gratus dona superna Dei.  
 Delicias, quis te mulier donare valebit,  
 nate, precor, fugias; multa pericla ferunt.  
 Mellifluis mulier verbis tua pectora mulcet  
 callida, tu forti subdola pelle manu. 110  
 Delicias sensu poteris captare fugaces,  
 tempore quae fugiunt omnia, nate, brevi.  
 Qui clarus volites hominum tu clara per ora,  
 ingratham possum iam tolerare famem.»

Promissum genitor probus servavit: in amne 115  
 nocte, die campis nobile fecit opus.  
 Gaudentem tenet ille malus felicibus Orcus  
 coeptis, quis geniti clara per ora volat.  
 Incepi puer ipse graves contexere nassas  
 et viburna mea carpere lenta manu. 120  
 Hanc artem docuit genitor, cum tristis abiret  
 ad fluvii ripas, corda premente fame.  
 Quam doctis didici monitis industrius ipse,  
 Iuppiter, attamen ars defuit illa mihi.

Ingeniosus eram: pueros erudire solebam 125  
 sidera cum fugiunt, cum redit alma dies.  
 Tempore mutato, Phoebus cum temperet orbem,  
 paupertas laetam fugit et ipsa domum.



<https://www.youtube.com/watch?v=CB1JhdN12nM>

**Il Fiume Tammaro**

<https://www.youtube.com/watch?v=deqrGjRRyxk>

**fiume Tammaro Sassinoro**

<https://www.youtube.com/watch?v=UNDwp8-cZUM>

**Esplorando il Tammaro, Sassinoro**

<https://www.youtube.com/watch?v=cTkByZJnNX0>

**Fiume Tammaro - Discovering the Tammaro valley, between Campania and Molise.**

**#dronevideo #molise**

<https://www.youtube.com/watch?v=u4kebCQOiek>

**Drone Series @ Fiume Tammaro - Sassinoro (BN) - Raffaele Pilla - WELLWIND**

<https://www.facebook.com/bmagazine.it/videos/un-bagno-nel-fiume-tammaro%C3%A8-uno-dei-luoghi-pi%C3%B9-incontaminati-e-selvaggi-del-sann/3010570389263002/>

Un bagno nel #fiume Tammaro È uno dei luoghi più incontaminati e selvaggi del #Sannio, dove l'acqua scorre limpida per tutto l'anno. C'è chi

<https://www.youtube.com/watch?v=Fv9h9IbYwHc>

**Nassa 10/8/2019**

<https://www.youtube.com/watch?v=IPHFpTLcuKs>

**Come pescare con la NASSA - Pesca con la Nassa fatta in casa**

<https://www.youtube.com/watch?v=CBbwoYwTYnc>

**Nassa da pesca - fai da te**

<https://lbfitalia.forumfree.it/?t=61246055&st=15> CITAZIONE (dagiari @

24/4/2012, 01:20)

**TAMMARO**, quale sconosciuto, ci parli un po' di questo bellissimo corso d'acqua?

Con molto piacere.

Da Wikipedia: *"Il fiume Tammaro è, con una lunghezza di 78 km e un bacino di 673 km<sup>2</sup>. il principale tributario del fiume Calore. Nasce in Molise dalla Sella del Vinchiaturò (558 m) tra le montagne di Sepino in contrada Castelvecchio Tappone, poco lontano dal confine con la Campania entrando poi nella provincia di Benevento fra Sassinoro e Santa Croce del Sannio. Scorrendo da nord-ovest a sud-est lascia sulla destra Sassinoro, Morcone, Campolattaro e Fragneto l'Abate, volgendo presso il centro di Pesco Sannita, a nord-est per "Valle Cupo" intorno alla montagna di Pago Veiano. Quindi torna poi verso mezzogiorno lasciando a sinistra il centro di Paduli e a destra Pietrelcina per poi sboccare nel fiume Calore a Ponte-Valentino*

*con regime torrentizio e letto solitamente angusto e fortemente incassato fra i monti."* Ed è proprio tra Paduli e Pietrelcina che vado bazzicando. Come dice la descrizione di Wiki è principalmente a carattere torrentizio e diciamo che nei periodi più piovosi si ha bisogno di più di 50 gr per restare in pesca, come è anche accaduto l'altro ieri. Bastano 2-3 settimane di mancata pioggia per far scendere sensibilmente il livello dell'acqua.

Le sponde sono ricche di vegetazione per cui è difficile trovare spazi che possano ospitare molti pescatori. Per cui i cosciali sono quasi d'obbligo. Occorrono anche per raggiungere spot più invitanti, attraversando il fiume, piuttosto che andando a fare giri davvero infiniti. Diversamente ci si deve accontentare. ***Non ho ancora un grandissima conoscenza delle taglie delle specie ittiche presenti, ma il fiume è molto ricco di barbi, carpe, cavedani ed ancora sono presenti tinche (in forma minore perchè massacrate in tempi passati), triotti, carassi, scardole, trote fario ed iridee di immissione, a n g u i l l e e capitoni blanda presenza di lucci e di persici, si narra di amur di taglia.*** Le tecniche più praticate sono la passata a bolognese e canna fissa, spinning e trota torrente (nei periodi di immissione della trota, a mio avviso depredata senza alcuna regola ne controllo), per il ledgering mi sento un pò un pioniere perchè tutti praticano la classica pesca a fondo e sto lavorando con alcuni miei amici per condurli su questa tecnica, facendo notare, nel mio piccolo, quanti vantaggi ci sono. Come un po' ovunque anche qui i bracconieri non mancano, infatti di notte so che ci sono molti compaesani che ,soprattutto in estate quando si creano del zone simili a grosse pozze, non mancano di buttare lenze con più ami e ***n a s s e per fare incetta di barbi, carpe, a n g u i l l e e capitoni.*** Purtroppo la cultura del rilascio qui è molto lontana. Fortunatamente le sponde non troppo accessibili, scoraggiano molti pescatori e di conseguenza molti pesci si salvano. Le acque in questi tratti non presentano significativa presenza di inquinamento industriale e da scarichi fognari che in vece sono molto presenti dopo il paese di Paduli, nel tratto che va verso Benevento. I pesci pescati, come testimoniano le foto, mi sembrano davvero in salute ed anche le piccole taglie si mostrano davvero energiche e vitali. Spero di aver dato una piacevole illustrazione, e vi terrò aggiornati sui miei sviluppi in questo fiume e quindi su quanto riuscirò a scoprire.

## NICOLAUS LEO LATINUS

d.29. m.Febr. a.2024 h.00:28

**NICOLAUS HORATIO POETAE LAUREATO SAL.PL.DIC.** s.v.b.e.e.v.

Care Horati, iam diutulê nihil a te accepi scriptum. - Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Esne rebus poeticis et hermeneuticis feliciter deditus? Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae **Nico de Mico** secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de **acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ.**

Thema acroaseos meae erit: **NOVIS REBUS NOVA NOMINA** (agitur de novis verbis Latinis fingendis). - **Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ.** Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Febr. a.2024 h.07:38

**Nicolao optimo Amico s. q. p. d Horatius.**

Libentissime hoc mane, ante quam sol surgeret et hominum angustias collustraret, pergratum epistolium tuum legi. Imo ex corde tibi, cum de me tam bene cogites, plurimas et maximas gratias ago.

Longum, immo longius, inter nos silentium fuit. Hoc enim tempore perniciose contagio cum febre saepe me aerumnis adfecit. Ideo nihil prorsus feci. Interdum uero ad taedium fugandum aliquam Senecae epistolam uel Horati crmen lectitavi. Quod, uti fingere potes, mihi maximum solacium adtuleunt. Hoc tempore, pro dolor, Musa tacet, quia profecto scis quid mali et maledici sit de me uel scriptum uel per interrete uulgatum. Pudeat factu, pudeat dictu. Erravi. Me nunc erroris mei acerbissime paenitet et pudet. Sed, ut ait Seneca, "Irrita est sera paenitentia". Ipse, uti scis, homo sum et sarcina humana me in errorem duxit. De hoc satis dixi.

Profecto acroasi tua per interrete, si idoneus fuerim ipse ad computatrum meum nectendum, lubentissimo animo interfuturus sum.

Epistolam autem leoninam tuam huc illuc prope legi. Mauri nostri carmina plurimi feci et facio. Fabulam, quam in linguam Lattinam uertisti, magna cum animi delectatione legi. Macte uirtute tua! Cetera in insequentibus diebus.

Spero fore, ut quam primum ad te carmen meum mittam.

Te, rerum dulcissime, optimis prosequor uotis, ut bene ualeas et linguae Latinae diuulgandae sedulo operam des. Pancraticè ualeas. **Horatius**

d.29. m.Febr. a.2024 h.13:12

**NICOLAUS HORATIO POETAE INGENIOSO NECNON AMABILI  
SAL.PL.DIC.**

Plurimas gratias tibi ago, mi care amice, quod tam promptè tamque sincerè respondisti. Tibi condoleo, quod his diebus et ex corpore necnon ex animâ aliquatenus laboras. Quod attinet ad febrim, quae hîc tempore anni haud raro nos vexat, bono animo sis: vere ineunte certè ab his aerumnis liberaberis. - Quod attinet ad animae tuae dolores, omnino nescio qualem errorem commiseris. Spectatne iste error tui ad res philologas uel poeticas (fortasse in carmine pangendo aliquo loco metrum non rectè observasti?) - an *sarcinam humanam* dicis i.q. Graeci σάρκα i.e. *carnem* appellant? Agiturne de re mentali an carnali? Scilicet homines haud raro errare in rebus carnalibus. Sed nos studia humaniora amplexi cum bene sciamus hominem non solum ex animo et animâ, sed etiam ex corpore constare - sequimur sapientiam Terentii comoediographi: HOMO SUM: NIL HUMANI A ME ALIENUM

PUTO. - Ceterum scribis *mali et maledici de te uel scriptum uel per interrete esse uulgatum*. Tu qui sis poeta laureatissimus, respondeas istis Thersitis atque Zoilis verba illa Nasonis illustrissima: QUID MIHI, LIVOR EDAX?

**His consideratis, Horati humanissime, sinas corporis et animae vulnuscula sanescere et valeas pancreaticê. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.03. m.Mart. a.2024 h.06:48

**Nikolao Optimo s.q. p. d. Horatius**

Im primis, rerum dulcissime, gratulor tibi ob luculentissimam ac doctissimam dissertationem de nouis uerbis condendis. Tibi imo ex corde plurimas tibi gratias ago, quia me, quamuis indignum, semel iterumq̄ memorasti.

Mihi est domi Lexicon illud, quod Antonius Bacci confecit. Si tibi non est, libentissimo animo tibi illud dono. Si illud habere uis, iterum ad me mittas, quaeso, indicem cursualem. Occasionem nactus uolumen meum, quod *Carmina Latina* inscribitur, tibi mittam, si uis.

Hi uero duo noua uerba, ad poesin tantum pertinentia, nuper finxi:

*herbiuõrax*, adiectiuus, est animal, quod ebam uorat;

*fronduõrax*, adiectuus, est animal, quod arboris frondes uorat, ut capella uel equus.

Uterque adiectiuus compositus est, quorum prior pars est uerbum *herba* et *forons*, *frondis*, altera uero pars est ex uerbo *uorax*. Optimum diem Dominicum habeas.

**Valeas quam plurimum Horatius**

d.04. m.Mart. a.2024 h.01:09

**NICOLAUS HORATIO SAL.PL.**

Summas gratias, care Horati, pro donis oblatis! Gratissimum mihi facies, si mittes haec duo opera quod mihi praebes benignissimê. Baccianum illud iam pridem desideraveram nescius, quonam loco inuenirem. Inscriptio mea cursualis est haec (iterum te rogo ut cures libros integumento involvendos, ne pluviâ umescant, nam proh dolor! - theca epistularis noster parum tuta est a pluviâ): . . .

Gratias etiam ago pro uerbis a te fictis: quibus egemus, quia nobis his diebus ferê cottidie absurdâ praeconatione climatomanicâ inculcatur, ut abstineamus a carnibus; ne dicam de novissimis vaticiniis, quibus insecta devoranda nobis benevolê commendantur. Haec breviter, mox libenter, si uolueris, multo plura. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Vale pancreaticê. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.08. m.Mart. a.2024 h.07:25

**Nikolao optimo s. d. Horatius**

Magno dissertationis labore maxima cum sollicitudine ac doctrina confecto, te grato otio merito frui puto. His quidem dibebus, cum in horto, qui circa domum meam patet, deambulare, ne crura debiliora in dies fierent, duo noua uerba finxi:

*omniprūdens*, *-entis*, adiectiuus.

*omnilõquus*, adiectiuus.



Utrumque uerbum ad illum pertinet hominem, qui, cum imperitus et penitus indoctus sit, de omnibus haud secus ac magister loquitur.

Antoni Bacci Lexicon in inuolucro ita custodiui, ut diluuium quoque uniuersale nullum adferat damnus. Ad te mittam intra perpaucos dies. Promissa seruo, uti scis.

Amicitia tua nactus, in beneficii loco a te, qui linguae Latine es quam qui maxime peritus, peto, ut *Elegiis, Poematibus et Epigrammatis* meis, quae sunt quam primum editura, praefatiunculam breui tempore scribas. Nam opus et totum apud domum editoriam.

Ipse interea sum de me breuem notulam scripturus. Quod si facere uelis, ad te statim per cursum electronicum totum opus mittam; si tibi contra non est in animo quod facere, amicitia integra manente, aperte dicas, quaeso. Opus ulla sine praefatione edetur. Iam nunc, quidquid dicas, tibi maximas ago gratias.

Tibi omnia bona exopto. **Valeas quam plurimum. Horatius**

d.08. m.Mart. a.2024 h.11:50

**NICOLAUS HORATIO SUO OPTIMO S.**

Ter mihi hodie misisti epistulam, care Horati: horâ 07:25, h.08:12, h.08:51.

Quantum video, textum non mutasti. Gratias pro verbis quae dicis te finxisse. Ceterum adiectivum, q.e. *omniloquus*, iam invenitur apud auctorem saeculi septimi decimi: Dominicus de Flandriâ scribit a.1621 hos versûs: *Quidquid & omniloquus tam re quam nomine Magnus Vtile propositis ille Suevus habet.*

Si mihi opus tuum novissimum per cursum electronicum mîseris, eodem perlustrato libenter nonnulla verba scribam commendaticia, quamquam pro certo habeo opera tua iam pridem ipso nomine tuo laureato maximê commendari. - Restat, ut animo indefesso, care amice, omni accediâ feliciter superatâ pergas poetando animos omnium Latinê doctorum et delectare et commovere. Vale pancraticê et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.15. m.Mart. a.2024 h.14:14

**NICOLAUS HORATIO POETAE LAUREATO SAL.PL.**

GRATIAS INEFFABILES, MI CARE HORATI, PRO DUOBUS LIBRIS INTEGRIS MAGNO CUM GAUDIO ACCEPTIS! LICETNE PROXIMĀ IN EPISTULĀ LEONINĀ CARMINUM TUORUM PRAEFATIONEM ET PROOEMIUM DIVULGARE? NAM LIBENTISSIMĒ LEONINAS EXORNO VERBIS ET DOCTISSIMIS ET ELEGANTISSIMIS. HAEC RAPTIM, MOX CERTĒ PLURA. PANCRATICĒ VALE ET PERGE MIHI FAVERE. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS.**

d.16. m.Mart. a.2024 h.06:37

**Nikolao Optimo s.q.p.d. Horatius**

Magna cum animi satisfactione accepi bibiothecam tuam esse duobus uoluminibus auctam. Qua de causa, cum ad te sint feliciter relata, sum tranquillior factus. Lexicon,

ut fortasse inspexisti, Cletus Pavanetto, quondam in Ciuitate Vaticana eorum uirorum, qui documentis Pontificiis Latini conficiendis operam dant, dux et amicus meus fuit dux. Mihi ualde utile fuit. Nunc uero, cum senex sim ed ad obitum propinquior, putauit illud tibi utilius esse. Quam oib rem tibi libentissimo animo donauit. Rarissimum est exemplar!

De carminibus meis pauca. Nescio utrum digna, quae legantur, sint. Quidam maleuoli, quorum nomina caritate Christiana taceam oportet, illa omnia fere turpia sordidaque esse dictitant. Quod ipse uidere potes et animo candidiore illa inuenire, quae pios illorum animos turbent. Si uis et id idoneum putes, primum Michaelis nostri Praefationem, tum Prooemium, quod ipse cursim et breuiter exarauit, euolgare poteris. Si ad amorem erga poesin alendum id iuuet, interdum quoddam carmen tibi in uolgus edere licet.

Hic uero noua nomina addo:

*uirifāga*, -ae, f. mulier, quae homines nimis amoris causa domum ducit.

*uirifūga*, -ae, f. mulier, quae, odio pulsa, uirum pellit.

*puericultrix*, -trīcis, f. mulier, quae pueris nuper natis curas ministrat apud nosocomium, ubi mater peperit.

Ad te carmina editura mitto, ut aliquid scribas uelut e. g. Praefationem uel Postfationem, quid tibi in animum ueniat. Gratias plurimas iam nunc persoluo.

Quis cursim dictis, te saluere iubeo pancratice saluto. **Horatius**

d.16. m.Mart. a.2024 h.06:59

Excusatum me habeas, precor. In priore epistola carmina non addidi. Ideo, ecce tibi. **Valeas quam plurimum Horatius**

d.16. Mart. a.2024 h.11:21

**NICOLAUS HORATIO SUO POETAE SAL.PL.**

EX ANIMO TIBI GRATULOR DE STUPENDĀ FECUNDITATE INGENII TUI!  
TANTILLO SPATIO INTERIECTO ALTERUM LIBRUM ES EDITURUS.  
LIBENTISSIMĒ SCRIBAM PRAEFATIUNCULAM. QUANTUM TEMPORIS  
MIHI CONCEDIS OPUS TUUM PERLECTURO? CETERUM GRATIAS  
PLURIMAS QUOD MIHI PERMITTIS, UT DIVULGEM PRAEFATIONEM ET  
PROOEMIUM LIBRI TUI PRIORIS. VALE SEMPER, POETA FECUNDISSIME!  
**MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS**

d.16. m.Mart. a.2024 h.14:26

**NICOLAUS HORATIO S.**

ACCEPI LAETISSIMĒ TEQUE IAM ROGAVI: "QUANTUM TEMPORIS MIHI  
CONCEDIS PRAEFATIONEM OPERIS TUI SCRIPTURO?"

HAEC HACTENUS. **VALE SEMPER, NICOLAUS LEO LATINUS**

d.16. m.Mart. a.2024 h.15:03

**Nikolao suo s. d. Horatius**

Cum autem nondum sint ad me primae pagulae missae, tibi satis temporis futurum puto. Gratum enim facies si ad me **exeunte mense Maio praefatiunculam miseris**. Tibi multas igitur ac plurimas gratias ago. Optime uale, Amice dulcissime. **Horatius**

d.17. m.Mart. a.2024 h.15:01

**NICOLAUS HORATIO S.**

Quamvis artis poeticae parum doctus studebo operi tuo praefari nonnulla verba quae spero tibi lectoribusque haud fore ingrata. Haec brevissimê, mox certê plura. **Medullitus Nicolaus Leo Latinus.**

d.18. m.Mart. a.2024 h.06:41

**Nikolao optimo s. d. Horatius**

Magna cum animi commotione hesterno die epistolium tuum legi. Ipse plerumque primo mane, ante quam laboribus meis operam dem, respondere soleo.

Scio te, cum callidissimus sis linguae Latinae cultor, optimam ac luculentam praefationem scripturum. Sed nescio utrum opus meum, quod ipse ne nauci quidem facio, sit tuo ingenio dignum, an non. Carmina, quae in manibus habes, haud secus ac Lucretius, per interualla insaniae conscripsi. Quidam haud recte, mea sententia, illa aliquid meruere putant. Nam Marius De Nonno, doctissimus Pontificiae Academiae Latiitatis Praeses, nec non praeclarus lingua Latinae professor, hae de carminibus meis scripsit: "Ti esprimo profonda stima per il discernimento da te messo in opera, e ti confermo senz'altro l'amicizia e l'alto apprezzamento per le tue qualità di *alter Horatius*". Medullitus te saluto. Cura ut quam plurimum ualeas **Horatius**

21.3.2024 00:34

**NICOLAUS LEO LATINUS HORATIO SUO POETAE LAUREATO  
SAL.PL.DIC.**

Animo elato, care amice, duo carmina ("*In parentum memoriam*" et "*Tammarus*", Latinitas VII 2019, Nova Series, Volumen Prius, p.139-132) tui recitando perlustravi, quae piâ gratâque mente pepigisti monumenta et patris et Tammari fluvii cuius fructibus laboriosê capiendis îdem et sociam et natos (ut ais) alebat.

De hîc fluvio fatali iudicas ratione sanê ambiguâ: Unâ ex parte eundem appellas inclementem, eius fructûs acerbos et verbis effers eius gurgitibus haud raro pueros esse submersos. Ex alterâ parte laudas eum animo inflammato: "**Tannarus ille suis aluit me, Iulia, lymphis:/ Tamarus ipse pater prodigus ære fuit/ Quem fluvium veneror, lîtus rupesque virentes/ quâ didici primum multa superna puer**" et inducis patrem tuum Tannarum praedicantem ut nutritorem benevolentissimum.

Verbis tuis flagrantibus commotus in interreti quaesivi huius fluvii nobilis imagines et descriptiones necnon nassas et anguillas et angues ibidem invêni (v. infra). In versibus tuis varia invêni maximê delectabilia et investigatione verê digna; hîc loco sine me ex te quaerere, quales angues sive natrices dicas matrem tuam saepe

invenisse in nassis? Scribis enim in altero carmine, ubi nonnulla fusius explicas quam in carmine operis tui novissimi initiali: LAT. loc.cit., p.130,v.40-50: "*Haud raro capit et nassis laqueisque retortis/ angues pestiferas, quas alit unda feras./ Heu quotiens nassas latuit dira anguis in amplas/ pestiferum corpus terribilesque globos./ Heu quotiens mater animalia tanta necavit/ falcibus arreptis, vulnera multa ferens.*"

Quantum nôvi (corrigere me, si fallor) talis anguis in fluviis patriae tuae pisces vorans a compatriotis tuis vocatur "*biscia tassellata*", a zoologis "*Natrix tessellata*", cfr symbola Wikipediae Italica quae sequitur:

[https://it.wikipedia.org/wiki/Natrix\\_tessellata](https://it.wikipedia.org/wiki/Natrix_tessellata): "*La biscia tassellata (Natrix tessellata (LAURENTI, 1768)) è un serpente europeo non velenoso della famiglia Natricidae[2]. ...È la specie più acquatica tra le 3 del genere Natrix; tutte, comunque, abbastanza legate all'acqua. Per questo vive presso le rive di corsi d'acqua e laghi dove, spesso, è facile da individuare data la possibile presenza di molti individui nello stesso sito. ... Predano anfibi (rane, rospi, tritoni) e, soprattutto, pesci. Le bisce tassellate sono le bisce più acquatiche del genere Natrix presenti in Europa, non allontanandosi mai dagli specchi d'acqua. ...Se disturbata fugge e, molto difficilmente tenta di mordere. È molto più probabile che si finga morta (**tanatosi**), o che tenti di difendersi spruzzando dalla cloaca un misto di feci ed altre sostanze maleodoranti dall'odore molto pungente e persistente*".

Ut vides, hic auctor Wikipedianus contendit istas natrices potius aufugere aut ex cloacâ merdam eiectione aut simulare se mortuas esse quam mordere hominem.

Tamen invêni cinematium delectabile, ubi quidam conterraneus tui talium bestiarum peritissimus demonstrat (min 11.30) istas angues interdum etiam mordere hominem, veneni quidem expertes sunt, sed vulnuscula efficiunt manûs humanae.

<https://www.youtube.com/watch?v=1FJDrhz6cfw> **Le BISCE D'ACQUA mordono come gli altri SERPENTI?** "*Le natrici, comunemente note come bisce d'acqua, sono da tutti considerate specie innocue e non aggressive...ma in casi estremi possono mordere anche loro? Grazie alla testimonianza ed ai filmati concessi dall'amico ed erpetologo Matteo Di Nicola risponderemo a questa domanda, risalendo nel frattempo un bellissimo ruscello e scoprendo i suoi abitanti...venite con noi!*"

Ergo mater tua cum ex nassis patris angues tales serpentes extrahebat, certê interdum mordebatur; si natrices tessellatae in nassis fuerunt, morsus quamvis dolorosus, non venenatus erat. An aliud genus serpentium nassas paternas invadebat - quid sentis?

Ceterum rogo te, ut cinematia aspectes fluminis et nassarum - et **dicas mihi num TAMMARUS te puero similis fuerit quam hodie an interim omnino mutatus sit.**

**Haec hactenus in praesenti, Horati carissime. Si permiseris, mox alia multa ex te quaeram de versibus tuis admirabilibus. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.25. m.Mart. a.2024 h.15:50

## NICOLAUS HORATIO SUO POETAE LAUREATO OPTIMO

### SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.

Gratias plurimas tibi ago pro responso tuo benevolo. Nonnulla restant mihi, care Horati, ex te quaerenda de Tammaro fluvio quem tu simul odisse et amavisse videris necnon de arte quâ familiam alebat genitor tuus.

1. Quare pater tuus semper pisces captabat tempore nocturno, non diurno?
2. Captavitne semper solus? Nonne fuerunt alii piscatores vicini, quibuscum garriret?
3. Semper captavit nassis et retibus an interdum etiam usus est harundine, quae erat lineâ et unco sive hamo instructa?
4. In carmine, c.t. "In parentum memoriam" v.53 dicis "*Haud raro capis et nassis laqueisque retortis*". Quid sunt "*laquei retorti*"? Quam methodum captandi hâc nomine appellas?
5. Semperne eodem loco nassas posuit an locum captandi variabat?
6. Quonam modo transportabat pisces captos? Semper sôlo dorso suo baiulavit? Quo vasi? Corbene? An carrulum adhibuit, quem traxit aut ipse aut asellus?
7. Quomodo effecit, ut adversus aestûs aestivos pisces capti manerent sat recentes, antequam venderentur? Ne olentes et rancescentes et putrescentes fierent invendibiles? Num vivos transportabat (quo vasi aquario?) an sale condiebat an - partim saltim – fumigabat? Aestivo tempore ad pisces frigefaciendos pater tuus certê carebat glacie aut nive, quâ Nero usus esse ad cibos gelandos narratur a Senecâ.
8. Quanta fuit distantia inter habitaculum vestrum et locum pisces captandi?
9. In carmine c.t. "Tammarus" vv.51sq. dicis de matre tuâ: "Anguibus occisis, tristis remeare solebat/ ipsa domum miseram, prandia parva parans". Ergo videtur mater tua mâne ad maritum iisse nonnullosque pisces ex nassis exemisse, quos domum secum auferret ad cenam parandam. Angues (sive natrices) in nassis inventas (num edibiles sunt?) falce necabat. Pater autem maiorem partem piscium secum abstulit ut venderet in "*oppidulo ingrato*". Itane fiebat?
10. Quamdiu (per quantam distantiam) pater tuus piscibus baiulatis migrare solebat usque ad oppidulum, ubi pisces vendebat?
11. Quare dicis oppidulum oppidave eiusque cives "*ingratos*"? Erantne morosi et avari et tenaces, parum parati ad pisces patris iusto pretio emendos?
12. In oppidis ubi vendebat - in mercatu an ostiatim? - eratne ei semper ambulandum et clamando merx praedicanda? An habuit etiam emptores fideles, qui semper aliquid emerent apud eum?
13. Anguillas nomine appellans discernis a ceteris piscibus. Fueruntne anguillae omnium piscium quos pater captabat pretiosissimi?
14. In Germaniâ anguillae praesertim in regione boreali aut adhibentur ad sorbitionem coquendam ("*Aalsuppe*") aut fumigantur ("*Räucheraal*"). Quomodo vos plerumque anguillas ad cenam habendam paravistis?

15. Etiam ranas captabat pater tuus ("Tammarus", v.27sq., "In parentum memoriam", v.35sq.). Quomodo comedebantur? Apud nos femora ranarum in sartagine solebant assari more Francogallorum. Ni fallor interim apud nos rarius venduntur, quia rumores erant femora ranarum ex Indiâ invecta esse, ubi forfice e ranis vivis crudeliter absecta essent; tutoribus bestiarum reclamantibus non iam venduntur.
16. In carminis c.t. "*In parentum memoriam*" v.31sq. difficile mihi est rationem intellegere syntacticam, quae intercedit inter verba "*ripa et arena*" et ceteras partes huius sententiae. "*Qui*" nonne hîc loco valet i.q. "*quomodo*"? Itaque verba intelligendo sic ordino: *Dicas, pater, qui (quomodo) ille labor tibi fuerit...auxilio et (quomodo) tibi auxilio (fuerint) ripa et arena?* An aliter versus intelligendus est?
17. In carminis c.t. "Tammarus" quodam loco (v.49) quantitas syllabae hexametri mihi quadrare parum videtur - an fallor? Scribis: "Heu quotiens **mater** animalia tanta necavit". Illud "-ter" verbi "*mater*" nonne est breve? Sed sequuntur duo alia breviam: "a-ni-".
18. Eodem in carmine v.71sq.: "Nullus adest hominum dives, qui praebet unus/ quo pellem (sic!) miseram munere prole famem". Nonne scribendum est "*pellam*" (1.sg.Coniunctivi praes.)?
19. In carminis c.t. "*In parentum memoriam*" v.69sq. dicis patri: "*Anguillis missis raro gravis aere redibas/ **incertis** gradibus, munera parva ferens.*" (cfr "*Tammarus*" v.65sq.: *Piscibus anguillisque datis, gravis aere redibat/ nonnumquam, natis parvula dona petens.*) Pater piscibus venditis pecuniam (aēs) et parvula dona domum secum ferebat. Sed quare redibat "*incertis gradibus*"? Num post venditionem vino in cauponâ sorbillato paululum titubabat? An nimis sêro veniens timebat, ne ab uxore increpitaretur?
20. In eiusdem carminis v.95sq., postquam praedicavit Tammarum nutritorem familiae, subito loquitur de pratis: "*Prata vides tu, nate, silens: sunt parva, misella./Illa ferent segetes, dulcia poma, dapes.*" - Quenam prata ista sunt? Loquitur per metaphoram de fluvio, qui pisces et ranas donet sibi familiaeque suae ita ut pratum donat segetes et dulcia poma?
21. Ut verum confitear, care Horati, illi versûs, ubi pater tuus loquitur de virgine deque muliere quâdam, mihi aliquatenus videntur obscuri et aenigmatici: "*In parentum memoriam*", v.107-112 et 121-128. Quae est illa virgo tibi dapem dans? Musa Camena? An fautrix artis tuae poeticae? Qui sunt "*hospites Veneris*"? Libenter credo te gestire delicias Veneris tibi que congaudeo; sed qui sunt illi comites? Amor et Cupido? Bene intellego te frui blanditiis - sed a quâ muliere unâ, quae artibus suis viros decipit atque capit? Estne certa quaedam mulier, a quâ ne capiaris te monet pater? Et postea pater precatur Deum Deique Matrem, ne veniat mulier maligna, quae pectus rapiat. Orat pater tuus ut ista mulier vitet filium suum, quae crudelis damna parabit et diro dente nocebit ei. "*Vipereum mulier secum tulit ipsa venenum./quo, ducente viro, membra tenella vorat.*" ---- Estne ista mulier phantasma quoddam (Monstrum *Lamiae* aliquatenus simile), fuitne pater tuus paululum superstitiosus? An

loquitur de verâ muliere, quam tibi imminere putat periculosam? An loquitur generaliter de mulierum inconstantiâ et fallaciis ("*La donna e mobile*") et Deum precatur, ut tu fias sacerdos caelibatu a mulieribus (quadamtenus) securus? O bone Horati, explica mihi verba patris tui cryptica!

22. Denique non possum quin tibi affirmem me mirari, quam pauca lectori narres de matre tuâ. Primum carmen inscripsisti verbis q.s. "*In parentum memoriam*", sed ferê nihil dicis de matre. In carmine, c.t. "*Tammarus*" matrem narras falcibus necasse angues pestiferas quae in nassas invasissent. Et deinde eandem tristem remeasse domum parva prandia paraturam. Fuit ergo natricum necatrix, paratrix prandiorum. Suntne alia carmina, quibus fusius celebres memoriam matris?

Haec hactenus, mi care Poeta Laureate, tibi scripsi quae mihi in buccam venerant versûs perlustranti quos pepigisti de Tammaro parentibusque tuis. Spero me tibi nullas molestias allaturum esse abundantîâ quaestiuncularum. Responsa tua exspecto animo suspensissimo. **Pancraticê vale, Horati Antoni Tammari Cantor et Vates ingeniosissime! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.26. m.Mart. a.2024 h.06:29

### **Nikolao optimo Amico s. p. d. Horatius**

Qua diligentia ingenio curiositate Elegias meas legis! Multa quaeris. Ipse contra pauca scribo, alioquin non epistola sed aegre dissertatio sufficit.

Pater, quod ad eruditionem atque mores meos pertinet, potissimum habuit locum. Mater quoque, sed altero quodam modo. Pater, ut uir, apud nos duriores labores sustulit, minores mater, quia mulier apud agricolas maxina erant ornatae reuerentia. Mater domum, immo tuguria custodiebat, hortos curabat, prandium parabat, lintea in fluminis unda lauabat, filios educabat. Labor, ut uida, haud est paruus.

Pisces tempore nocturno sunt captandi, quia noctu, raro die, cibum quaerunt. Tenebris opprimentibus, nassas et retia non uident et capiuntur, ut anguillae. Die pastores piscibus et anguillis fastidio sunt. Ideo noctu animalia illa securiora sunt.

Solus piscis anguillisque capiendis operam dabat, quia piscator est miserrimus putatus uir. Numquam est uel arundine uel hamo usus, quia tempus inane teritur. Patri fuerunt XX uel maximum XXV nassae et duo retia et omnibus noctibus loca non eadem fuerunt. Positis piscibus in fisco, quod umeris supendebat, oppidulum petebat. Omnibus noctibus maximu VI uel VII piscium chilogrammata uel sanguillarum II. Cum parua esset quantitas, breui uendebat. Oppidula, quae petebat a flumine maximum IV uel V milia aberant passuum. Quod interuallum, cum admodum iuuenis esset breui tempris spatio emetiebatur. Cum autem pisces uel anguillas e nassis uel retibus tollebat adhoram primam, entra IX horam, animalia illa erant omnia deuendita.

Emptores, ut mos fuit et est, quam minimum soluere cupiebant. Ranarum autem tantum crura posteriora edula sunt et illi uescebamur uel frixa uel in pastae condimento cocta. Optima sunt.

Versus autem 49, de quo me interpellas, breuiter: frequens apud antiquos poetas *productio in arsi*. Sed si legisses carmina, quae tibi ipse misi, inuenisses, ni fallor: *Heu mater quotiens animalia tanta necauit.*

Cetera patent.

Te tamen oro atque obsecro, ut carminibus lectis quid de iisdem sentias ad me scribas, ut uel in uoluminis principio, uel in fine ponam, qui intra paucos dies ad me domus editoria primas mittet plagulas.

**Dies Paschales tibi iucundi sint.**

**Pancratice te salutat Horatius.**

d.28. m.Mart. a.2024 h.06:21

**Nikolao Optimo s. p. d. Horatius**

Te his diebus optime ualere puto. Ipse hac saltem tempestate ualeo, quamuis aequilibrium faciat, ut interdum, nisi fulcimentum inueniam, humi cadere possim, ut est perpauca abhinc dies factum. Haud multum abfuit, quin caput in marmoreum pauimentum frangerem. Hesterno uespere, uti promisi, et promissa plerumque seruo, nassam meis ipsius manibus delineauit. Interdum ad uires relaxandas pulchram describendi artem colo; sed, ut par est, uel hominis, uel mulieris imaginem delineare malo. - Quam uides est massa ad pisces capiendos apta; multo minor, sed eadem forma, est ad anguillas captandas idonea uidetur nassula. - Crastino die Edimburgum, filia nepteque comitantibus, ad neptem nuper natam uisendam contenda, sed Kal. Apr. iterum Romae sum.

**Diebus Paschalibus aduenientibus te optimis prosequor uotis, ut omnia tibi bene uertant. Medullitus te Horatius salutat.**



**ECCE NASSA AB IPSO POETA SUBTILITER DELINEATA !**



# IN OCCIDENTE NIHIL NOVI<sup>1</sup>



**Opus auctore  
Erico Mariâ Remarque  
a.1929 editum,  
a Leone Latino  
in Latinum conversum**

*Historia primi belli mundani ex personâ militis gregarii narrata: Paulus Bäumer undeviginti annos natus iuvenis terrores belli omnino non suspicatus miles voluntariê factus pro animi inflammatione adventurisque, quas exspectaverat, experitur trucidationes saevissimas et mortes commilitonum absurdissimas. In hóc libro ex multis annis plurimum divendito Ericus Maria Remarque quadamtenus ab inferis ciet terrores primi belli mundani idque rapidâ cum vivacitate narrandi et sermone, quo omnem iuvenum generationem denuo allocutus tenet correptam.*

---

<sup>1</sup> cfr Pars Prima: EL 168, 3-23





**ERICH MARIA REMARQUE**  
(1898-1970)

*Dieses Buch soll weder eine Anklage noch ein Bekenntnis sein. Es soll nur den Versuch machen, über eine Generation zu berichten, die vom Kriege zerstört wurde – auch wenn sie seinen Granaten entkam.*



*Hôc libro ne quem accusem neve quid confitear. Quo nihil conabor nisi referre de generatione hominum, quae bello destructa est - etsi eius granata effugerat.*

## Caput tertium III



**PAUL BÄUMER**

Accipimus supplementum novorum commilitonum. Lacunae explentur, et sacci stramenticii in tuguriis prostrati mox occupantur. Partim hi milites novi sunt homines aetate proveciores, sed etiam 25 iuvenes nobis attribuuntur ex receptaculis tironum transmissi. Qui sunt integro ferê anno minores quam nos. Kroppius latus meum vellens: »Vidistin' illos pueros?«

Annuo. Nos iactamur, sinimus in aulâ nobis barbas rasitari, manûs impingimus sacculis bracarum, aspectamus tirones et nobis videmur esse veterani vetustissimi.

Katczynskyus nobis se adiungit. Permigramus stabula equorum et venimus ad novos milites suppletos, qui modo accipiunt mascas gasicas et cafeam. Katius rogat unum ex aetate minimis: »Certê diu iam nihil boni devorastis, nonne?«

Ille vultum detorquet. »Mâne panem naporum – meridie holera naporum, vespere copadia naporum et acetaria naporum.«

Katczynskyus sibilat more viri periti. »Panem ex napis confectum? Feliciter res vobis successit, interdum illi panem conficiunt ex scobe. Sed quid sentis de fabis albis, vin' aliquantum earum?«

Puer erubescit. »Noli me deruncinare.«

Katczynskyus autem nihil respondit nisi: »Sume vasa tua escaria.«

Nos secuti sumus curiosi. Is ad cupam nos ducit iuxta saccum stramenticium positam. Quae reverâ plena est fabarum albarum carnisque bubulae. Katczynskyus stat ante cupam et dicit: »Oculos aperite, digitos arrigite! Hoc est signum Borussorum.«





### STANISLAUS KATCZINSKY

Nos sumus obstupefacti. Equidem quaero: »Babae, Kati, quonam modo in hanc cupam incidisti?«

»Coquaster ille ruberrimus« inquit, »gavisus est, quod a me cupâ liberatus est. Ei dedi tres pannos serici umbellae desultoriae. Nonne fabae albae quamvis frigidae sapiunt haud improbê?«

Katius gestu faventis puero dat portionem fabarum et: »Proximâ vice« inquit, »si iterum hîc advenis cum vasi tuo coctorio, oportebit manu sinistrâ teneas aut sigarum aut petum. Intellextin' ?«

Deinde ad nos conversus: »*Scilicet vos sic quoque fabas accipietis.*«

\*

Kaczinskyus nobis est pernecessarius, quia praeditus est sensu sexto. Ubique sunt tales homines, sed nemo statim animadvertit eos esse talis indolis. Omnis centuria habet aut unum aut duos viros huiusmodi. Kaczinskyus est omnium versutissimus, quos nôvi. Qui professione est sutoris, sed hoc nil valet, nam is vir callet artem omnem. Bonum est huius hominis esse amicum. Nos eius amici sumus, Kroppius et ego, etiam Haius Westhus aliquatenus. Sed is potius est organum operans, nam laborat Katio imperante, si quae res agitur, ad quam conficiendam opus est pugnis robustis. Itaque quibusdam fruitur commodis.

Ut exemplum afferam: Nocte venimus ad locum prorsus ignotum, viculum tristissimum, qui primo iam conspectu apparet desertus atque exhaustus. Mansio nobis est parva fabrica obscura, quae modo demum instructa est ad pernoctationem. Insunt lecti, vel potius loci dormitorii, nonnulli asseres, qui intensi sunt filis ferreis inter se connexis.

Filamentum metallicum est durum. Stragulum substernendum non habemus, stragulo egemus, ut nos obtegamus. Pannus tentorii nimis tenuis est.

Tum Katus re aspectâ dicit Haius Westhusio: »*Veni mecum.*« Unâ proficiscuntur in vicum prorsus ignotum. Semihorâ post revertuntur bracchiis stramento oneratissimis. Katus invênit stabulum equorum, cui inest stramentum. Nunc possemus dormire calefacti, nisi esuriremus terribiliter.

Kroppius ex aliquo milite artilleriae, qui iam diutius in hac regione versatur: »*Estne hîc aliquo loco caupona?*«

Is ridet: »*Nequaquam! Hîc nihil invenies. Isto in viculo accipies ne frustillum quidem paniceum.*«

»*Nonne restant aliqui incolae?*«

Ille exspuit. »*Restant nonnulli. At isti ipsi omne ahenum culinare circumvagantes mendicant.*«

Ista est res mala. Nil restat nisi ut famem sustinentes exspectemus usque mâne, quo cibi afferentur.

At nunc cum videam Katium pileum capiti imponere, quaero: »*Quo vis ire, Kati?*«

»*Paululum circumiecta explorabo.*« Foras profectus ambulat.

Artillerista ridet male salsus. »*Licet explores! Sed cave ne nimium labores.*«

Spe decepti decumbimus et deliberamus, num admordeamus penora nostra ultima. At hoc nobis videtur esse nimis periculosum. Itaque conamur aliquantulum dormire.

Kroppius sigarello perfracto dat mihi partem dimidiam. Tiadenus narrat de cibo nationis suae, qui sunt magnae fabae cum lardo. Maximê condemnat istos, qui fabas coquant sine satureiâ. Maximê curandum esse, ut omnia unâ percoquantur, per Dei voluntatem ne separatim coquantur poma terrestria et fabae et lardum. Tum aliquis fremuit se Tiadenum redacturum esse ad satureiam, nisi statim taceret. Deinde

silentium fit in oeco magno. Nihil auditur nisi flagrant nonnullae candelae lagoenis infixae, et interdum artillerista exspuit.

Nos cubamus iam semisomni, cum ianuâ subito apertâ apparet Katius. Videor mihi somniare: ille duos panes fert bracchio suppositos, manu tenet saccum cruentum carne equinâ completum.

Artillerista tam vehementer stupet, ut fumaculum amittat ex ore excidens. Qui panem digitis attingit. »*Babae, verus panis est, et adhuc calet.*«

Katius non loquitur de pane. Qui habet panem, cetera nil valent. Mihi quidem persuasum est, si Katius in desertis exponeretur, futurum fuisse, ut intra horae spatium cenam conquireret ex dactylis et asso et vino comparandum.

Qui Haio breviter dicit: »*Concède ligna.*«

Deinde sartagine ex veste eximit et ex sacculo bracarum sumit volam salis et ipsam laminam adipis; – omnia respexit adhibenda. Haius ignem facit in pavimento. Qui fragorem êdit per oecum fabricae vastum. Nos e lectis descendimus.

Artillerista incertus est. Qui deliberat, num sibi laudandum sit, ut fortasse sibi etiam aliquid ciborum attribuat. Sed Katczynskyus eum non videt, nulloque modo respicit. Tum ille abit maledicens.

Katius novit rationem carnem equinam coquendo molliendi. Cavendum est, ne haec caro statim sartagini indita durescat. Necesse est, ut eadem antea percoquatur paululo aquae. Cultris instructi in orbem considimus et cibis nos saburramus.

Talis vir est Katius. Si quo anno in aliquâ regione per unam tantum horam aliquid comestibile posset indagari, is vir eâdem horâ ipsissimâ tamquam illuminatione excitatus pileum capiti imponeret, foras exiret, quasi pyxide nauticâ instructus hoc esculentum infallibiliter inveniret.

Katius invenit omnia; – si frigemus, fornaculas et ligna, fenum, stramenta, mensas, sellas – sed praecipuê invenit res devorandas. Quomodo hoc faciat, est aenigmaticum, credas eum arte magicâ talia ex aëre curare afferendas. Omnium splendidissimum fecit eo quod nobis attulit quattuor pyxides astacorum. Sed maluimus pro iis accipere adipem.

\*

Decubuimus in latere tuguriorum aprico. Aer olet bitumen et aestatem et pedes sudantes.

Katius sedet iuxta me, nam libenter confabulatur. Hodie meridiano tempore per horam integram debuimus exercere gestûs honorificos, quia Tiadenus aliquem praefectum maiorem salutaverat negligenter. Quod Katius non obliviscitur. Qui dicit: »*videbis nos bello devictum iri, quia nimis diligenter salutamus.*«

Kroppius appropinquat gradu ciconino, nudis pedibus, bracis revolutis. Qui impilia sua lavata siccanda prato imponit. Katius in caelum suspicit, fortem êdens crepitem ventris adnotat cogitabundus: »*Făbulam qui comedat, venter ei crepitat.*«

Nunc ambo incipiunt disputare. Simul lagoenâ cervesiae sponsionem faciunt de pugnâ aeroplanorum, quae fit supra nos.

Katius non avertitur a sententiâ suâ, quam – ut est vetulus mulus versutissimus – iterum exprimit rimis: »*Aequa cena, aequa merces omnibus si tribuetur, omne bellum cito finietur.*« –

E contrario Kroppius est cogitator. Qui proponit, ut bellum declaretur quasi sit sollemnitas popularis, in quâ emantur tesserae aditiales et modi musici audiantur ita ut in spectaculis tauromachiae. Oportere, ut deinde in harenâ ministri et praefecti generales ambarum terrarum subligaribus balnearibus induti fustibusque armati alii in alios invehantur. In fine eam terram victoriam peperisse, cuius esset ultimus vir relictus. Hoc futurum fuisse melius quam id quod hîc fiat, ubi falsi homines inter se pugnent.

Placet hoc propositum. Tum sermo transit ad exercitia militaria.

De iisdem cogitanti subit mihi imago quaedam. Meridies in aulâ castrorum ferventissimus. Aer fervidus videtur quadamtenus stare supra plateam. Castra videntur esse ab omni animanti vacuissima. Omnia dormiunt. Nihil auditur nisi tympanistae exercentes, qui alicubi statuti exercent brutê, scaevê, monotonicê. En quale tricinium: fervor meridianus, aula castrensis, exercitium tympanorum! Fenestrae castrorum sunt vacuae et obscurae. Ex nonnullis pendent bracae trilices siccescentes. In ea loca suspicimus. Conclavia sunt frigidula. –

O conclavia decurionum obscura atque mucida, quae instructa estis spondis lectorum ferreis et lectis tessellatis et armariis quibus praeposita sunt scabilla! Quisnam crediderit fieri posse, ut vos ipsa interdum sitis obiecta exoptata; hîc foris vos ipsa estis quodammodo patriae fabulosa monumenta nitidiuscula, vos ipsa receptacula fumi, somni, vestium ciborumque vapidorum!

Kaczinskyus illa conclavia describit magnâ cum colorum magnificentiâ magnoque cum vigore. Quantum daremus, si in illa redire possemus! Nam altiora petere ne cogitando quidem audemus –

Vos horae instituendi matutinae – »*In quas partes dividitur sclopetum 98?*« – vos horae palaestrandi postmeridiani – »*Prodeant clavicines. Dextrorsum. Nomina date in coquinâ pomis terrestribus deglubendis.*« –

Helluamur rerum recordatione. Subito Kroppius ridet dicens: »*Transcendite in statione Löhnseni.*«

Iste fuit lusus decurioni nostro dilectissimus. Statio ferriviae oppidi *Löhne* est statio transcensoria. Ne peregrinatores nostri ibidem aberrarent a recto itinere, Himmelstossius nobiscum in conclavi castrensi exercebat transcensionem. Nobis discendum erat peregrinatores in statione Löhnseni ad tramen proximum non pervenire nisi per subtertransitum. Lecti ponebantur loco, quasi essent subtertransitus,



et omnis nostrum debebat more militari consistere in parte sinistrâ. Deinde nobis mandabatur: »*Transcendite in statione Löhnensi!*«, et fulguris velocitate omnes sub lectis repebamus usque ad partem alteram. Istam rem exercebamus per horas integras! –

Interim aeroplanum germanicum telo e caelo deiectum est. Quod tamquam cometa delabitur nubem fumosam expulsans. Kroppius ideo lagoenâ cervesiae perditâ morosê numerat nummos suos.

Cum Alberti animus refectus sit, ego: »*Himmelstossius*« inquam, »*munere tabellarii cum fungitur, certê est vir modestus. Quinam modo fit, ut îdem munere decurionis instructus homines vexet tam importunê?*«

Hac re quaesitâ Kroppius denuo ad loquendum excitatur. »*Talis non solum est Himmelstossius, tales sunt permulti. Isti ubi primum sunt ornati epomidibus aut acinace, fiunt homines alius generis, quasi devoraverint calcestrum.*«

Ego opinor: »*Hoc efficitur veste uniformi*«.

Tum Katus maiorem orationem habiturus: »*Aliquatenus*«, inquit, »*sed causa posita est alio loco. En vide: Si quem canem ita condoces, ut devoret poma terrestria, et postea ei praebes frustum carnis, tamen eandem hiante ore captabit, quia hoc indoli eius naturali est insitum. Et si cui homini das frustulum potestatis, de eo fiet idem; nam idem frustulum captabit. Hoc fit ultro, nam homo ipse primo est bestia, deinde demum fortasse ei est, sicuti quadrae panis adipatae, aliquantulum decentiae allitum. Militaris autem ratio eo constat, quod semper potestatem habeat in alterum. Sed malum est, quod omnis habeat nimis multum potestatis; decurio gregarium, succenturio decurionem, centurio succenturionem potest tam vehementer vexare, ut is incidat in insaniam. Cum autem hic sciat, statim aliquatenus consuescit ad istam potestatem exercendam. Exemplo tibi sit res simplicissima: Nos venimus ex plateâ exercendi defatigatissimi. Tum imperatur: Cantate! Scilicet cantari infirmê, nam omnis miles aegrê tantum id assequitur, ut sclopetum secum ferat. Et iam centuriae est revertendum et per horam integram exercendum. Dum redimus, iterum imperatur: »Cantate!«, et nunc cantatur. Quem ad finem fit tota ista res? Dux centuriae assecutus est id quod voluit, quia habet potestatem istud assequendi. Nemo eum vituperabit, e contrario, habetur pro duce, qui est animi acerrimi. Sed talis res non multum valet, sunt aliae multo graviores, quibus milites vexentur. Nunc quaero ex vobis: Talis vir, quacumque est condicione civili, quâ in professione iste potest se gerere tam importunê, nisi periculum subire vult, ne rostrum sibi suffringatur? Talia facere nemo potest nisi praepositus militaris! En videtis tantâ potestate acceptâ omnis vir incipit superbire! Et quo inferior eius fuit status civilis, eo maiore afficietur superbiâ.*«

»*Dicitur quidem disciplina esse necessaria* –«, Kroppius adnotat negligenter.

»*Causas*«, Katus mussitat, »*illi habent semper. Licet sint. At ne fiat vexatio. Sed explica istam rem alicui claustrario aut servo aut operario, explica aliquando istam rem alicui militi gregario, quales unt plerique hîc versantes; is nihil videt nisi se*

*vexari et venire in campum proelii, et perbene scit, quid sit necessarium et quid non. Dico vobis ea quae miles gregarius hîc in campo patiantur, esse durissima! Durissima!«*

Omnia nostrum hoc concedit, nam omnia scit exercitium non finire nisi in fossâ castrensi, sed paucis iam chiliometris post frontem proeliarem denuo inchoari, idque exercendis rebus absurdissimis, velut salutatione et embaterio pompatico. Nam una semper valet lex ferrea: Miles ne umquam non occupetur.

Sed nunc apparet Tiadenus facie maculis rubris obsitâ. Qui tam vehementer excitatus est, ut linguâ haesitet. Ore renidenti litteras in syllabas colligit: »Himmelstossius huc iter facit. Qui venturus est ad frontem proeliarem.«

Tiadenus Himmelstossio succenset acerbissimê, quia ab isto in castris tuguriorum educatus est istius more. Nam Tiadenus est submeiulus, non potest quin nocte dormiens submeiat. Himmelstossius autem qui pertinaciter atque perseveranter contendit Tiadenum hoc facere pigritiae causâ, invênit remedium sui, quo Tiadenum adiuveret.

Decurio in tugurio propinquo invênit alterum virum submeiulum, qui nomine fuit *Kindervater*. Quem iussit in eodem tugurio pernoctare ac Tiadenum. In tuguriis stabant spondae lectorum typici, in quibus unus lectus alteri superpositus erat, fundi lectorum constabant ex filis ferreis. Himmelstossius nunc curavit, ut unus submeiulus acciperet lectum superiorem, alter lectum infra eundem positum. Scilicet militem infra cubantem se habuisse iniucundissimê. Ideo proximo vespere submeiuli debebant lectos suos inter se permutare, ut inferior in lectum superiorem veniebat ultionem executurus. Ista fuit Himmelstossiana educatio sui ipsius.

Hoc consilium erat sordidum, sed bene excogitatum. At infeliciter successit, quia falsa erat opinio praeiudicata: neuter eorum submeiebat pigritiae causâ. Quod omnia animadvertibat aspiciens amborum cutem pallidam. Denique res eo finita est, quod semper unus eorum dormiebat in pavimento. Facile autem fieri poterat, ut is perfrictionem contraheret. –

Interim etiam Haius iuxta nos consedit. Qui mihi annictat et brancam suam affricat cogitabundus. Unâ degimus vitae nostrae militaris diem pulcherrimum. Is fuit ille vesper, antequam in campum vecti sumus. Attributi eramus alicui regimentorum, quibus est magnus numerus, sed antea in praesidium stativum reportati, ut investiremur, non in depositorium tironum, sed in alia castra. Postridie mâne nos esse profecturos. Vespere profecti sumus ad Himmelstossium ulciscendum. Quod nos facturos esse iam septimanis ante coniuraveramus. Kroppius tantum progressus erat, ut nobis affirmaret se pace factâ munus petiturum esse cursuale, ut postea Himmelstossii iterum tabellarii facti fieret praepositus. Kroppius voluptuosê animo fingebat, quibus modis istum esset vexaturus. Nam hoc erat causae, cur Himmelstossio non contingeret, ut nos humiliaret; semper enim sperabamus aliquando fieri posse, ut istum deprehendamus puniendum, si tardissimê, bello finito.

Nunc autem volumus istum probê mulcare. Nam quid periculi nobis imminere, si iste nos non cognovisset et nos postridie mâne iam profecturi essemus?

Scimus, quâ in cauponâ iste sederet omni vespere. Cum inde redibat ad castra, necesse erat, ut transiret viam obscuram et a domibus vacuum. Ibidem Himmelstossio insidiati sumus post acervum lapidum. Equidem mecum attuleram indumentum lecti. Trementes exspectabamus incerti, num iste veniret solus. Tandem audivimus istius gradum, quem bene noveramus sat saepe mâne auditum, cum ianuâ raptim apertâ rugiebatur »*Surgite!*«.

»*Solusne est?*« Kroppius susurravit.

»*Solus!*« – Unâ cum Tiadeno arrepsi ad acervum lapidum.

Tum subito iam corruscavit eius clusura cincturalis. Himmelstossius visus est aliquantulum exhilaratus; qui cantabat. Praeteribat nil mali suspicans.

Pannum lectuarium corripuimus submissê prosilientes, a tergo obvolvimus caput istius aversum, pannumque deripuimus, ut iste constaret tamquam saccus albus neve brachia tolleret. Desiit cantare.

Proximo momento temporis adfuit Haius Westhus. Bracchiis dilatis nos repulsavit, ne ullo modo ultio sua retardaretur. Deinde Haius voluptuosê constitit, brachium sustulit tamquam mâlum signalis, cui erat manus vatillo carbonario haud absimilis, et saccum album tantâ vehementiâ pulsavit, quantâ bovem occîdere potuisset.

Himmelstossius autem cernuavit usque ad locum quinque metris remotum et coepit rugire. Sed etiam huic rei provideramus, nam nobiscum attuleramus pulvinum. Haius nate incoxavit, pulvinum genibus imposuit, Himmelstossium corripuit ibi, ubi erat caput, eumque pulvino impressit. Statim rugitus est deminutus. Haius eum interdum sinebat aëra haurire, deinde ex singultu exorta est clarus clamor magnificus, qui statim mollescebat. Nunc Tiadenus habenis bracarum solutis bracas detraxit Himmelstossii. Hoc faciens flagrum retinuit dentibus. Deinde surrexit verberaturus. En imaginem mirabilem: Himmelstossius humi prostratus, Haius in istum declinatus, cuius caput genibus Haii impositum, qui in torvum renidens ore voluptuosê aperto, deinde palpitans subligar variegatum cum cruribus valgis, quae in bracis devolutis omni ictu movebantur mirificentissimê, et super iis Tiadenus indefatigabilis lacertum vibrabat tamquam lignarius. Tandem non potuimus, quin eum abriperemus, ut ipsi etiam possemus verberare.

Tandem Haius Himmelstossium in pedibus reposuit necnon in fine praebuit spectaculum privatum. Quasi stellas de caelo esset carpturus, Haius lacertum excussit ad alapam ducendam. Himmelstossius decidit. Haius eidem iterum sublato manu sinistrâ alteram duxit alapam excellentissimê collineatam. Himmelstossius ululans fugâ salutem petivit more quadrupedum. Eius nates eius tabellarii variegatae lucebant in lumine lunae.

Nos autem evasimus gradu citato.

Haius etiam conversus dixit voce truci, saturatâ, aliquatenus aenigmaticâ: »*Volup est vexare vexatorem*«.

Sensu proprio Himmelstossius causam habuit, cur gauderet; nam praeceptum eius, quo semper unus alterum deberet educare, in personâ eius ipsius fructûs tulerat. Nos enim eius methodorum facti eramus discipuli dociles.

Iste numquam invênit, cuius gratiâ hanc rem accepisset. Saltim eâdem acceptâ lucratus est pannum lectuarium; nam paucis horis post cum locum ultionis iterum inspeximus, illum pannum non iam invênimus.

Hic vesper causae fuit, cur postridie mâne proficisceremur animis aliquatenus aequis. Itaque quidam vir barbâ plenâ vibrante praeditus animo commoto nos appellavit iuventutem heroicam.

*Explicit caput  
tertium  
fabulae romanicæ  
c.t.  
„In occidente nihil novi“.  
Caput quartum sequetur.*



# FABULA CRIMINALIS

## ILLUMINATI



### **Ferdinand von Schirach (a.2009)**

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium

cfr De auctore: Epistula Leonina 53, p.7-17; oratio auctoris: 54, p.4-10; Praefatio/ De Faehnero: 55, p.4-15;  
Festum popolare: 78, p.18-27; Felicitas: 81,12-24; DNA: 90,11-15; Vir alter: 158,8-20; Lydia: 159,20-18;  
Violoncellum: 223,11-26; Puellae: 281,31-35; Amor: 283,39-43.

## ILLUMINATI

*Ordo Illuminatorum* d.1. m.Maii a.1776 conditus est ab *Adamo Weishauptio*, magistro iuris ecclesiastici *Universitatis Ingolstadiensis*. Illo tempore nemini licuit bibliothecas accedere nisi alumnis Iesuitarum academicis; Weishauptius voluit hoc mutare. Qui professor nescivit res huius Ordinis recte disponere, fortasse 28 demum annos natus fuit nimis iuvenilis. A.1780 *Adolphus de Knigge*, francomurarius dux factus est huius unionis secretae. Knigge rei peritus fuit, Ordo crevit, usque dum propter doctrinas suas nimis illuministicas periculo fuit regno ideoque prohibitus est, quod rei publicae esset hostilis. Deinde de Illuminatis narratae sunt permultae fabulae. Cum Adamus Weishauptius aspectu *Georgio Vassintonio* esset aliquatenus similis, contendebatur Illuminatos occidisse Praesidem et in eius locum supposuisse Weishauptium – indicio huius rei esse bestiam Civitatum Americae Unitarum symbolicam, id est aquilam albo capite praeditam. Et quia homines iam semper amabant theorias conspiracy, subito omnes dicti sunt participes esse Illuminatorum: *Galileus*, *Lilith dea babilonica*, *Lucifer*, et in fine ipsi *Iesuitae*.

Reverê Weishauptius mortuus est a.1830 *Gothae*, historia Ordinis finitur a.1784 prohibitione gubernationis, et nihil relictum est nisi parva tabula memorialis in zonâ peditum Ingolstadiensis statuta.

Nonnullis haec sunt nimis pauca.

... ..

Henricus cum esset sex annos natus, discipulus factus est et res coeperunt evadere falsae. Cucullus eius scholaris confecta erat rubrâ telâ coactili, cui agglutinatae erant stellae et magus barbâ acutâ praeditus. Hunc cucillum ponderosum, qui obtectus erat integumento chartae viridis, Henricus solus gesserat, ex quo domo profecti erant.

Deinde cucullus ad ansam ianae conclavis classiarii adhaesa, ut fieret impressio. Henricus autem in sellâ suâ sedebat, torpidis oculis spectabat cucillum, cum magistra ex eo quaesivit nomen, is nescivit, quid sibi respondendum esset, et coepit flere. Qui flevit propter impressionem cuculli, propter homines alienos, propter magistram, quae gerebat vestem rubram, et quia omnia sibi mente finxerat esse prorsus alia. Puer iuxta Henricum sedens surrexit, ut sibi quaereret novum consessorem. Usque illud tempus Henricus crediderat mundum esse sibi creatum, interdum cito se converterat, ut res deprehenderet alium locum petentes. Inde ex hōc tempore se hoc non iam facturum esse. Reliquam huius horae scholaris partem postea non iam recordatus est, sed putavit illo die vitam suam factam esse quodammodo inaequalem, neque se eandem umquam reddere posse aequaliorem.

Parentes Henrici fuerunt ambitiosi, eius pater fuit vir, quem nemo in oppidulo umquam conspexit nisi focali et calceis nitidatis indutum. Qui vir familiâ paupere natus magnis cum laboribus id assecutus est, ut fieret vice-director officinarum electricarum necnon membrum consilii oppidani, eius uxor filia fuit agricolae huius regionis maximi. Pater autem quia scholam absolvit mediâ tantum cum maturitate, voluit filium suum plura assequi. Is vir falso cogitavit de scholis privatis, publicis diffidit ideoque parentes decreverunt, ut filium afferrent in oecotropheum, quod situm erat in Germaniâ meridionali.

... ..

Ambulacrum castanearum ducebat ad aedificium, quod olim fuerat monasterium saeculo sexto decimo conditum. Societas oecotrophei fovendi hanc domum ante 60 annos emerat, quae fuit bonae famae; industriales, magistratûs altiores, medici, patroni liberos suos mittebant ad hanc scholam. Director oecotrophei fuit vir crassus panno collari et iacculâ viridi indutus, qui familiam ad portam salutavit. Parentes locuti sunt cum hōc viro alieno, Henricus eos sequitur, qui conspexit maculas coriaceas cubitis viri assutas eiusque pilos cervicis rutilos. Vox patris fuit solito submissior. Alii pueri iis obvenerunt, unus ex iis Henrico annuit, sed is respondere nolens parietem aspectavit. Vir alienus eis monstravit conclave Henrici proximo anno inhabitandum et cum octo aliis pueris communicandum. Lecti inerant casteriis ligneis, quibus praependebant cortinae lineae. Vir Henrico dixit haec nunc esse eius »loca propria«, in quibus ei liceret parieti taeniâ adhaesivâ affigere toechocollemata;

quod dixit specie comitatis. Deinde director Henrici umerum impulit. Henricus eum non intellexit, manûs istius viri alieni fuerunt carnosae mollesque, tandem abiit.

Mater vestimenta Henrici armario imposuit, omnia fuerunt ei aliena, lintea lectuaria nullo modo erant domesticis ei consuetis similia, alios sonos audivit ac domi. Henricus adhuc sperabat haec omnia fieri per errorem.

Pater eius molestiâ temporis vexabatur, iuxta Henricum lectum insidebat, ambo aspectabant matrem vestimenta ex tribus vidulis eximentem. Quae loqui non desinebat, dicebat se etiam voluisse frequentare oecotropheum, se iuvenem amavisse communes actiones feriarum. Henricus voce matris monotonâ fatigabatur. Qui se applicavit ad partem lecti capitalem oculosque clausit. Expergefactus animadvertit nihil esse mutatum.

Condiscipulus advênit, qui dixit sibi esse mandatum, ut parentes »circumduceret«. Viderunt duo conclavia classiarum, cenationem, coquinam theariam; supellectiles erant marginibus rotundatis, omnia erant commoda, nihil visum est quadrare ad monasterium. Mater omnia laudabat animo inflammato, et Henricus scivit, quam stulta eadem videretur esse discipulo. In fine pater discipulo dedit duos eures. Quod mater dixit parum esse, illum revocavit iterumque ei pecuniam dedit. Puer dorsum flexit, nummos manu tenuit, Henricum aspectavit, et Henricus cogitavit se iam nunc omnia perdidisse.

Aliquando pater dixit horam iam processisse, sibi adhuc imminere reditum diuturnum. Cum parentes veherentur per ambulacrum, Henricus vidit matrem in autocineto etiam ad se conversam et manu sibi annuentem. Vidit matris faciem per vitrum anticum, vidit illam cum patre loquentem, ôs illius moveri sine sono, illud ôs semper motum iri, et subito Henricus intellexit illud ôs non iam sibi moveri. Manûs retinuit sacculis bracarum impositas. Autoraeda etiam etiamque deminuebatur, usque dum non iam discernerebatur ab umbrâ ambulacri.

Henricus nunc erat duodecim annos natus, et scivit omnia sibi esse praematura et praegravia.

... ..

Oecotropheum fuit mundus proprius, reliquo mundo angustior et intensior et expers compromissorum. Discipuli erant athletae et docti et gloriatores et victores. Et erant ii, qui non respectabantur, id est discipuli innotabiles.

Nemo ipse diiudicabat, qualis haberetur, alii diiudicabant, et ferê semper iudicium fuit definitivum atque immutabile. Puellae ibi scivissent rationem diiudicandi corrigere, sed puellae non recipiebantur, earum vox defuit.

Henricus fuit unus ex discipulis innotabilibus. Qui dicebat res falsas, gerebat vestimenta falsa, erat malus athleta, et ne computatrales quidem lusûs ludebat satis bene. Nemo ex eo aliquid expectabat, is alios sequebatur, de eo ne facetiae quidem

narrabantur. Is fuit unus ex talibus discipulis, quales scholâ relictâ in conventu classiaro non iam recognoscantur a condiscipulis prioribus. Henricus autem amicitiam iunxit cum puero in conclavi suo habitans, qui legebat fabulas phantasticas et habuit manûs umidas. Ambo sedebant in cenatione ad eam mensam, ad quam cibi ultimo loco afferebantur, et in excursionibus classiaris unâ manebant a ceteris seiuncti. Vitam sustinebant, sed Henricus nocte in lecto vigilans optabat, ut sibi plura praeberentur.

Qui fuit discipulus mediocris. Etiam si magis discebat studiosius, notae eius non mutabantur. Quattuordecim annos natus facies eius varis<sup>1</sup> obsita est et omnia eidem facta sunt peiora. Puellae, in quas in oppidulo suo incidebat tempore feriarum, cum Henrico agere volebant nihil. Cum eadem aestate post meridiem birotis vehebantur ad lacum structilem, is debebat pecuniam solvere pro glacie edibili et potulentis, ut sibi liceret sedere apud illas. Ut tantum erogare posset, ex marsupio matris pecuniam furabatur. At tamen puellae basiabant alios pueros, Henrico nocte nihil relinquebatur nisi photographemata illarum aspectanda, quae clam fecerat.

Semel tantum accidit, ut Henricus rem haberet cum quadam puellâ, quae fuit gregis bellissima. Hoc factum est in feriis aestivis, Henricus modo erat quindecim annos natus. Puella ei dixerat, ut secum iret; hoc ultro dixerat. Puer eam secutus erat intrantem apodyterium, quod erat tugurium ad lacum situm fenestrae expers; inerant scruta et scamnum angustum. Puella coram puero in cellâ semiobscurâ se exuerat eique dixerat, ut consideret et bracas suas aperiret. Lumen tabulis intercidens puellae corpus ita dividit, ut Henricus nihil videret nisi eius ôs, eius mammas, eius pudenda, vidit pulverem aëri insitum et olfecit veteres culcitrae inflabiles scamno suppositas, et audivit alios ad lacum versantes. Puella ante eum genibus nixa est et eum attigit, puellae manûs fuerunt frigidae, lumen in ôs eius incidit, in eius dentes, qui erant coloris nimis albi. Puer sensit eius spiritum ante faciem suam exhalatum, et subito timuit. Henricus sudavit in cellâ obscurâ, oculis torpidis aspectavit manum, quâ puella complexa est penem suum, aspectavit venas dorso manûs insitas. Henrico in mentem inciderunt quaedam verba libri didactici biologiae, quae erant »*Digitum manûs spatio vitae aperiuntur et clauduntur vicies bis milionesies*«. Puer voluit tangere puellae mammas, sed non ausus est. Deinde sura Henrici convulsa est, et cum patravit<sup>2</sup>, dixit, quia debuit aliquid dicere: »*Te amo*«. Puella autem celeriter surrexit et

1 **varus**, -ī m. cfr OLD 2013, s.v. uarus<sup>2</sup>: CELS. 5.28.15.B; paene ineptiae sunt curare **varos** et lenticulas et ephelidas, sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest 6.5.1; oleum amygdalinum...cutem erugat, nitorem commendat, **varos**... tollit e facie PLIN.nat.23.85; sub lingua duritia rubens **vari** modo 26.6; 28.109.

2 **cum patravit** orig. *als er kam. patrō, patrāre (hōc loco) i.q. re veneriā consummatā semen virile emittere.* cfr DUDEN, Das große Wörterbuch der deutschen Sprache in 8 Bänden, tom.4: Hex-Lef, 2.ed., Mannheim/ Leipzig/ Wien/Zürich a.1994, p.1923, s.v. kommen 17.: »(salopp) *einen Orgasmus haben*: Als Bennett gekommen war und noch keuchend auf mir lag (Jong [Übers.], Angst 185): Ich komm' nur mit meinem Mann (Extra 9,1976,47); <auch unpers.:> Als es ihm kommt, schneidet er entsetzliche Grimassen (Chotjewitz, Friede 29).« - cfr Adams, Latin Sexual Vocabulary 1982, p.142 sq.: »...**Patro** was used elliptically from at least as early first century = ,accomplish (it)'. There is a



se avertit, Henrici venter spermate glutinosus erat, illa vestem suam induit Bikinianam, properê et dorso inclinato, ianuam aperuit et in margine ianae se convertit ad Henricum: Qui nunc conspexit puellae oculos, e quibus apparebant misericordia et taedium et aliquid aliud, quod nondum noverat. Deinde puella dixit submissê: »*Doleo*« et ianuam raptim clausit, ad alios cucurrit, iam evaserat. Henricus diu remansit sedens in tenebris. Cum postridie mâne inter se convenirent, puella stabat inter amicas suas. Quae dixit voce tantâ, ut omnes audirent, ne Henricus vultum tam stultê distorqueret, futurum non fuisse, ut »*illud*« cum eo fecisset, nisi sponsionem perdidisset, cuius pignus »*illud*« fuisset. Et quia Henricus iuvenis fuit et vulnerabilis, inde maior facta est animi sui inaequalitas.

... ..

In classe nonâ nova magistra vênit in oecotropheum, quae docuit artem figurativam, et subito vita Henrici est mutata. Usque id tempus scholam non flocci fecerat, maluerat aliquid aliud facere. In feriis semel in fabricâ verularum<sup>3</sup> practicum absolverat, ibidem voluerat manere. Ibi Henrico placuit sequentia rerum normata, rythmus machinarum semper aequalis, colloquia in canabâ semper similia. Henricus dilexit officinatorem, cui attributus erat et qui quaestionibus suis respondebat parcê loquens.

Novae magistrae causâ omnia sunt mutata. Usque illud tempus Henricus numquam delectatus erat arte figurativâ.

In domo parentium nonnullae delineationes pendebant, folia celeriter confecta philotheoris vendenda, quae pater Henrici iter nuptiale faciens Lutetiae emerat a venditoribus circumforaneis. Unica imago originalis confecta erat ab avo Henrici et suspensa erat in eius conclavi puerili supra lectum. Hac imagine monstrabatur plăga Borussiae orientalis aestiva quam aspectans Henricus sentiebat fervorem et solitudinem, et, quamquam artis imperitus, stupendâ cum certitudine scivit hanc imaginem bene esse confectam. In oecotropheo amico delineaverat figuras fabularum illius phantasticarum, scaenas pumilionum et orciorum et nympharum, quas Henricus tam artificiosê delineabat, ut omnes viderentur vividiores quam in libris sermone descriptae erant.

---

particularly clear example at Porph.Hor.Serm. 1.5.84, deinde per somnium imaginantem se, cum eandem puellam vidisset, concumbere super se ipsum **patrasse**‘ (of a nocturnal emission, not copulation). ...The sense of the verb is illuminated by the use of **patratio** (,orgasm‘) in Theodorus Priscianus Eup. 2.32, p.130.15 Rose ,satyriasis ...tensionem particulae cum assidua patratione avidissimam facit‘ (it is a question of ejaculation, not copulation...” - cfr ISID.orig.9,5,3 pater ...dictus eo quod patratione peractâ filium procreet; patratio enim est **rei veneriae consummatio**. - cfr **expatrō**, -āre GLOSS.II 65,30 ἐκκρίνω ἐπὶ συνουσίᾳ.

3 +**verula**, -ae f. orig. *Schraube*. <http://ducange.enc.sorbonne.fr/verula>: „**VERULA**, diminut. a veru, Cochlea minor, Gall. *Vis*. Inventar. S. Capellæ Paris. ann. 1376. ex Bibl. Reg.: Item caput sancti Symeonis,.... quod caput habet unam coquciam desuper firmatam cum una Verula esmailliata. Aliud Gallicum ejusd. S. Capellæ: Item le chief S. Symeon,.... et a une coqusse d'argent sur la teste fermant à une Viz esmaillée. Vide [Vicella](#).

Magistra autem 65 ferê annos nata ex Alsatiâ erat oriunda, vestes gerebat nigro-albas. Eius mulieris de arte loquentis labium superius paululum tremebat, et submissim adhuc audiebatur eius accentus francogallicus.

Quae magistra, ut semper anno scholari ineunte, iusserat pueros delineare scaenam quam in feriis suis erant experti. Post meridiem eadem mulier opera discipulorum perspectavit visura, quantum iidem progressi essent. Omnes imagines singillatim ex chartophylacio sumpsit, fumavit, quod nusquam faciebat nisi domi. Interdum magistra aliquid notavit. Deinde manu tenuit folium Henrici, delineationem, nihil nisi nonnullas lineas stili carbonei: imaginem matris Henricum in statione ferriviae secum abducentis. Magistra classem instituens non animadverterat eum puerum esse extraordinarium, sed nunc manus magistrae coepit tremere. Eadem intellexit Henrici imaginem: magistrae omnia patebant in eâ delineata. Mulier conspexit Henrici pugnas et vulnera et pavorem, et subito conspexit puerum ipsum. Vespere magistra artis figurativae diario suo nihil inscripsit nisi duas sententias: »*Henricus P. est discipulus ingeniosissimus omnium, quos umquam vidi. Qui est donum vitae meae.*«

.....

Brevi post ferias natalicias eum deprehenderunt.

Iuxta monasterium annis septuagenariis aedificatum erat natabulum. In eodem aer erat aestuosus, olebat chlorum materiamque plasticam, discipuli vestimenta mutabant in quodam procætone. Henrico, cum in margine natabuli manum allisset, permissum est, ut abiret ante ceteros. Paucis minutis post alius puer in apodyterium vênit horologium suum ablatum. Nam voluit mensurare, quam diu condiscipuli possent sub aquâ manere. Îdem in procætonem veniens conspexit Henricum pecuniam ex bracis aliorum eximentem et numerantem et sacculo bracarum sui imponentem. Per nonnullas minutas eum aspectavit, dum guttae aquaticae cadebant in pavementum lamnis figlinis obtectum. Aliquando Henricum illum animadvertit audivitque dicentem: »*Tu porce*«<sup>4</sup>. Henricus conspexit lacullam aquae puero illi subsitam, illius subligar natatile viridi-album, capillos madidos in illius faciem incidentes. Subito mundus Henrico visus est retardari, îdem vidit unam guttam singulam cadere retardatam, eius superficies fuit perfecta, lumen neonicum lacunaris in eâdem est refractum. Cum haec gutta in pavimento dispergeretur, Henricus fecit aliquid, quod non debuit facere et quod postea nemini scivit explicare: genua flexit. Tum puer alter desuper in torvum renidens iterum dixit: »*Tu porce, hoc lues*«. Deinde ille rediit in oecum natandi.

4 cfr Jakob Buchmann, Populärsymbolik oder: Vergleichende Darstellung der Glaubensgegensätze zwischen Katholiken und Protestanten nach ihren Bekenntnisschriften. 3.ed., Mainz 1850, tom.II, p.54, n.1: „In der Schrift: daß die Worte noch feststehen, heißt es: ‚*Si corpus Christi est in omnibus locis, agedum devorabo ipsum in omnibus hospitiiis, et in omnibus scutellis, poculis et cantharis.* Auf diese Einwendung antwortet Luther: ‚*Audi tu porce, canis fanaticae, aut quisquis fueris insulse asine, etiam si Corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum devorabis.* - - - *Ablego te in haram tuam porcorum vel in tuum sterquilinum.*“

Ille puer spectabat ad parvum gregem discipulorum oecotrophei, qui clam nomen sibi imposuerant *Illuminatorum*. In feriis aestivis îdem legerat librum de ordinibus equitum monachorumque prioribus, deque *Templariis* et *Illuminatis*. Îdem erat sedecim annos natus et quaerebat mundi explicationes. Puer hunc librum dedit ceteris, et post nonnullos menses noverunt omnes theorias. Tres fuerunt, qui loquebantur de *Poculo Sancto* deque conspirationibus mundi, nocte inter se conveniebant, quaerebant signa in monasterio sita et denique invenerunt symbola, quia invenire voluerant. Arcûs fenestrarum meridie umbras iaciebant, quae aspectum haberent pentagrammatum, in picturâ abbatis obscurâ, qui monasterium condiderat, invenerunt ululam, symbolum Illuminatorum, et supra turris horologium pueris videbatur esse pyramis. Qui istis rebus omnibus maximam vim attribuebant, et quia cum nemine de iisdem loquebantur, res ipsae iusto graviores factae sunt. Pueri autem per interrete sibi mandabant libros, in forîs interretis innumeris legebant de istis rebus, ut paulatim crederent ea quae dicebant. Cum exorcismum assecuti essent, decreverunt, ut quaerent victimam, hominem, quem a peccatis purgarent et asseclam sui facerent. Multo postquam omnia facta sunt, inventi sunt in puerorum armariis et thecis lectorum plus quadringentos libros de causis inquisitionis, de ritibus satanicis, unionibus secretis, flagellatoribus sui ipsius, et eorum computatra scatebant imaginibus torturarum saganarum Sadianaeque pornographiae. Pueri cogitabant puellam esse victimam aptissimam, et disputabant, quaenam facturi essent de eâdem. At cum Henrico illa res in natabulo accidisset, pueri certo sciverunt, quae foret victima sua.

.....

Magistra cum Henrico agebat cautê. Eum sinebat delineare quaecumque îdem volebat. Deinde ei monstravit imagines, explicavit anatomiam, perspectivam, compositionem. Henricus omnia mente suâ hauriebat, nihil ei difficile erat perceptu. Puer omni septimanâ exspectavit binas horas institutionis artis figurativae. Cum esset aliquatenus progressus in arte discendâ, foras iit cum codicillo suo chartarum. Henricus delineabat quaecumque videbat, et plura videbat quam alii. Magistra de eo non loquebatur nisi cum direttore oecotrophei; ambo decreverunt, ut pergerent curare, ut Henricus sub aegide scholae cresceret, nam îdem adhuc visus est nimis fragilis. Henricus coepit imagines libris artis impositas comprehendere, et paulatim suspicabatur se non esse solum.

.....

Septimanis prioribus illi tres pueri Henricum humiliaverunt sine certo consilio. Quem cogebant, ut calceos suos purgaret sibique in vico emeret dulciaria. Henricus faciebat quaecumque illi sibi mandabant. Deinde venerunt Saturnalia, quibus ut omni anno, discipuli per tres dies vacaverunt, sed plerisque iter domum faciendum erat nimis longum. Itaque cum taedio temporis affecti essent, Henricum etiam peius

molestaverunt. Ad monasterium pertinebat alterum aedificium, in quo tempore monachorum fuerat confectorium<sup>5</sup>, quod constabat ex duobus oecis, quorum parietes usque ad lacunar erant obtecti lamnis fictilibus coloris flavi. Confectorium iam diu remanserat vacuum, sed restiterant caudices concisorii vetusti, et pavimento adhuc inerant canales sanguinis defundendi.

Henricus autem coactus est, ut in sellâ consideret nudus, et tres pueri eum circumibant et clamabant eum esse porcum et furem et proditorem communitatis, eum minus valere quam purgamenta necnon esse foedissimum. Loquebantur de varis eius faciei insitis deque eius pene. Pueri Henricum mulcabant manutergiis madidis, ei non permittebant, ut is se moveret nisi genibus flexis aut reptans per manûs et genua, et semper ei repetenda erant haec verba: »*Magnam culpam contraxi*«. Henricum in cupam lanariam infererunt et metallum tam diu pulsabant, usque dum paene surdesceret, et inter se colloquebantur, quidnam facturi essent de istâ bestiâ miserimâ. Brevi ante cenam finiverunt. Postea in Henricum cômitem se gerentes dixerunt, ut se indueret, se proximâ septimanâ exeunte perrecturos esse, sed nunc oportere, ne nimis sêro venirent cenatum.

Hôc vespere unus ex iis parentibus scripsit epistulam, scripsit, qualis septimana fuisset, se gaudere de feriis, et indicavit notas suas matheseos et linguae anglicae. Ceteri luserunt pedifolium.

Henricus autem post cenam iterum iit in vetus confectorium. Qui stetit in oeco semiobscuro, exspectavit, sed nescivit, quid exspectaret. Per fenestram prospexit lanternam viariam, cogitavit de matre suâ et recordatus est se aliquando in autocineto socolatam comedisse et sedibus allevisse. Hôc invento mater Henricum vituperaverat. Illo tempore per totum diem autocinetum purgaverat, non solum sedes, sed etiam ploxenum, etiam canthos pneumaticos peniculo detererat, usque dum autocinetum tantopere fulgeret, ut Henricus a patre laudaretur. Et subito Henricus vestimenta exuit, in pavimentum decubuit, brachia expandit et sensit frigus lamnarum fictilium in ossa sua invadere. Henricus oculis clausis nihil audivit nisi spiritum suum. Henricus fuit felix.

.....

»... *et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris et iterum venturus est cum gloriâ iudicare vivos et mortuos...*«

Facta est *liturgia Parasceues*, ad quam participandam discipuli oecotrophei debuerunt ire in ecclesiam vicanam. Quae originaliter fuerat sacellum Marianum, sed hodie ecclesia barocca plena auri, marmoris falsi, angelorum statuarumque Matris Dei.

<sup>5</sup> **cōnfectōrium**, -ī n. orig. *Schlachthaus*. angl. *slaughterhouse*. cfr ThLL 04,171,5053: **cōnfectōrārius**, -ī m. *a* confector, *qui porcōs conficit et condit*. CORP.VI. 9278 *locus Fortinati confectorari idem esse videtur*: CORP. VI 1690 (s.IV med.) corpus suariorum et **c o n f e c t u a r i o r u m**. - **cōnfectōrium**, -ī n. *a* confector. GLOSS. II 477,48 χοιροσφαγείον.

Henricus iam pridem omnia delineaverat hōc loco sita, sed hodie ibi nihil vidit. Digitis in sacco bracarum quaesivit scidulam. Cui inscripta erant verba q.s. »**Hodie te illuminatum inaugurabimus**«. Quam scidulam expectaverat, ea Henrico fuit pretiosissima, quam hodie bene m̄ane invenerat in mensulā suā nocturnā. Huic sententiae subscripta erant verba: »*Horā vicesimā. In vetere confectorio.*«

»... et dimitte nobis debita nostra...«

»*Ita*«, Henricus cogitavit, »*fiet: hodie debitum meum mihi dimittetur*«. Animum tam vehementer reddidit, ut nonnulli pueri se converterent ad eum. Iam oraverunt *Pater noster*, liturgia mox erat finienda. Henricus autem »*Debitum meum dimittetur*« muttiens oculos clausit.

.....

Henricus fuit nudus et coactus est, ut laqueum collo suo circumdaret. Alii induerant cottas<sup>6</sup> nigras, quas invenerant in aliquo armario detricto, quod in depositorio subtegulano erat depositum, vestimenta aspera et *cilicia*, id est camisias paenitentiaris pilis caprinis confectas, quas iam diu nemo gesserat. Candelas posuerant, lumen reflectebatur fenestris caecis. Henricus facies puerorum non iam cognovit, sed vidit ceteras res, vidit omnes singulas: Vidit telam cottarum, vidit fila, quibus botones iisdem erant assuti, vidit fenestrarum margines lapidibus rubris confectos, claustrum ianuae effractum, pulverem gradibus insitum, ferruginem epimedii scalarum.

Manūs Henrici illi vinxerunt ad dorsum. Pigmento aquatico in institutione artis figurativae adhibendo unus ex pueris Henrici pectori impinxit pentagramma rubrum, signum, quo malum repelleretur, tale viderant in vetere picturā aeneā. Funem eius collo circumdatum vetere trochleā traxerunt ad uncum lacunari affixum. Henricus digitis pedum vix attigit pavementum. Unus ex pueris magnā voce recitavit magnum exorcismum, id est *Rituale Romanum*, praecepta papalia linguā Latinā a.1614 scripta. Eius verba per œcum resonabant, nullus puerorum eadem intellexit. Vox pueri scissa est, eius animus commotus erat se ipso. Iidem reverā crediderunt se purgare Henricum a peccatis eius. Henricus non frigit. Qui credidit se hac vice, ipsā hac vice omnia rectē fecisse, nunc se non iam repellere posse ab aliis. Unus ex pueris mulcabat, flagrum ipse fabricaverat, corio innexerat nodos. Plāga non fuit dura, sed Henricus titubavit. Funis erat cannabe confectus, eodem collum insectum est, ut spiritus

---

6 +*cotta*, -ae f. orig. *Kutte*. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/COTA1>: „1. COTA, Cotta, Cottus, Tunica Clericis propria, Gall. *Cotte*, Germ. *Cutt*. Concilium Moguntiacense apud Reginonem lib. 1. cap. 335. et Burchard. lib. 2. cap. 208: Ut laicalibus vestimentis Clerici non utantur, id est, mantellum, vel Cottam sine cappa, etc. Alexander IV. PP. lib. 6. Ep. 256: Clerici induti vestimentis sericis, aut superpelliciis, sive Cotis vadant processionaliter. Idem Epist. 24. ann. 7. ex Regula Canonorum S. Marci de Mantua: Canonice non liceat uti Cottis, nisi tantum in Capitulo et in Choro, divinis officiis, et obsequiis circa altaria exhibendis, et cum ad opus Dei vadunt, et inde redeunt, et in afferendo ignem et aquam, et alia quae necessaria sunt divinis officiis. Infra: Cottas minus subtiles vel etiam sumptuosas nullus faciat. Ch. ann. 1428. in Hist. Eccles. Placent. lib. 17: Item, dicit, quod fratres bene intersunt divinis officiis, et in decenti habitu, cum cappis et Cottis, etc....“

elideretur, caespitavit, eius digiti pedum non iam attigerunt pavementum. Deinde autem Henricus penem arrexit.

Homo, qui lentê laqueo suspenditur, suffocatur. Primâ phasi cutis fune insecatur, venae collares et arteriae clauduntur, facies colorem ducit caeruleo-violaceum. Cerebrum non iam accipit oxygenium, post decem ferê secundas homo animo relinquitur, et diutius non vivit nisi accessus aëris non totus interrumpitur. Proximâ in phasi, quae fit per unam ferê minutam, muscoli respiratorii contrahuntur, lingua ex ore exseritur, òs hyoideum et larynx laeduntur. Deinde veniunt convulsiones, vehementer et immoderabiles, pedes et bracchia palpitant octies vel maximê decies, saepe muscoli collares dirumpuntur. Homo suspensus subito videtur quietus, non iam spirat, et post unam vel duas minutas incipit phasis ultima, mors nunc vix iam potest averti. Ôs aperitur, corpus inhiat in aërem hauriendum, singuli tantum fiunt spiritûs, non plures quam deni in minutâ. Ex ore, naso, auribus interdum exit sanguis, facies nunc est tumida, cordis ventriculus dexter est dilatatus. Post decem ferê minutas fit mors. Inter suspensionem haud raro fiunt erectiones membri virilis: Sæculo quinto decimo credebatur *mandragora* herba *Solanacearum*, exoriri ex spermate hominum laqueo suspensorum.

At illi adulescentes nihil sciverunt de corpore humano. Non intellexerunt Henricum modo intermori, crediderunt eundem plâgis excitari. Ille puer, qui flagrum tenebat, irâ incensus durius verberavit et rugivit aliquid, quod Henricus non iam intellexit. Qui a doloribus vacuus fuit. Qui recordatus est se infantem iuxta semitam campestem invenisse capreolum autocineto obtritum. Qui iacuerat in nive et sanguine, et cum eum vellet tangere, capreolus capite raptim converso Henricum aspectaverat oculis torpidis. Nunc se esse unum ex illis. Debitum suum esse dimissum, se numquam fore solum, se esse purgatum, et tandem liberum.

.....

Via quae interfuit inter domum magistrae ad unicam vici stationem benzinariam, duxit praeter monasterium et vetus confectorium. Eadem mulier voluit ibidem emere sigarella et birotâ vectus est. Tum conspexit lucem candelarum in confectorio flagrantium. Scivit nemini licere ibidem versari. Ea per totam ferê vitam fuerat magistra, liberos custodiverat, educaverat, et verisimile est sensum responsalitatis causae fuisse, cur magistra sisteret et scalas per quinque gradus ascenderet. Quae ianuam aperuit. Quae vidit candelas, vidit Henricum nudum, pene arrecto, laqueo paene suspensum, et vidit tres pueros cottis monachorum indutos, unum eorum flagrum manu tenentem. Tum magistra exclamavit, dimidio gradu recessit, a gradu scalarum aberravit, aequilibrio amisso titubavit et ita recidit, ut cervix eius reiceretur in aciem ultimi gradûs. Cervice fractâ mulier statim est mortua.

Funis collo Henrici circumdatus affixus erat ad catenam ferream, quae per trochleam ex lacunari suspensam trahebatur ergatâ. Cum audiret magistram clamare, puer ergatam e manibus dimisit, ut fune remisso Henricus decideret in pavimentum. Catenâ ponderosâ per trochleam dereptâ arenatio de lacunari cecidit, eâdemque lamina lapidea iuxta caput Henrici sita est diffracta. Pueris in oecotropheum currentibus auxilium allatum Henricus remansit prostratus, deinde lentê crura attraxit, spiravit, et oculis apertis conspexit peram magistrae ad introitum iacentem.

.....

Director oecotrophei mediante patrono scholae civili mecum telephonerat. Qui mihi narravit, quid factum esset, meque rogavit, ut commoda oecotrophei foverem. Director scivit magistram cum Henrico habuisse commercium speciale, artius quam cum ceteris discipulis, et quamquam semper ei confisus erat, nunc timuit, ne mors magistrae aliquo modo cohaereret cum illo commercio.

Vor 150 Jahren wurde der österreichische Schriftsteller KARL KRAUS geboren.  
 Er war der Herausgeber der bekannten Literaturzeitschrift „Die Fackel“  
 und ein wahrer Meister des „geschliffenen Wortes“.

\* \* \*

Der berühmte österreichische Schriftsteller und Dramatiker KARL KRAUS.  
 wurde am 28. April vor 150 Jahren geboren. Er war ein gefeierter Künstler des Wortes.

Karl Kraus war ein österreichischer Schriftsteller, Publizist, Satiriker, Lyriker, Aphoristiker, Dramatiker, Förderer junger Autoren, Sprach-, Kultur- und Medienkritiker. Zum Hauptwerk von Kraus gehören das satirische Drama *Die letzten Tage der Menschheit* (1918) und die Zeitschrift *Die Fackel*, die er von 1899 bis 1936 herausgab. Literarische Bedeutung erlangte er als einer der wichtigsten Aphoristiker deutscher Sprache.

**Quelle: Wikipedia**

## Paul Auster

\* 3. Februar 1947 in Newark, New Jersey

† 30. April 2024 in New York

Paul Auster war ein US-amerikanischer Schriftsteller, der auch als Filmregisseur, Drehbuchautor, Kritiker, Übersetzer und Herausgeber arbeitete. Seine Werke wurden in über vierzig Sprachen übersetzt.

PRIDI E KAL. MAIAS  
 PAVLVS AVSTER  
 SCRIPTOR PRAESIGNIS ET INTERPRES  
 NOVIBORACI E VITA EXCESSIT  
 AETATIS LXXVII

MMXXIV

Am 30. April ist der ausgezeichnete Schriftsteller und Übersetzer  
 PAUL AUSTER im Alter von 77 Jahren in New York gestorben.

Weltbekannt wurde Auster durch seine Serie experimenteller Kriminalromane, die gesammelt als *Die New-York-Trilogie* (1987) veröffentlicht wurden. Nach dem bescheidenen Erfolg seines Prosa-Debüts *Die Erfindung der Einsamkeit* wurde *Stadt aus Glas* zunächst von siebzehn Verlagen abgelehnt, gelangte dann aber auf die Nominierungsliste für den Edgar Allan Poe Award. Die Trilogie enthält die Geschichten *City of Glass – Stadt aus Glas* (1985), in der es um einen Krimiautor geht, der im Laufe der Erzählung verschiedene Identitäten annimmt. *Ghosts – Schlagschatten* (1986) handelt von einem Detektiv namens Blue, der einen Mann namens Black für seinen Kunden White beobachtet. *The Locked Room – Hinter verschlossenen Türen* (1986) ist die Geschichte eines Autors, der das Leben eines anderen Schriftstellers für eine Biographie aufarbeitet und dabei anfängt, dessen Leben zu leben. Jeder der drei Romane wirkt zu Beginn wie eine klassische Kriminalgeschichte. Die Beobachtungen und Nachforschungen der Protagonisten münden jedoch nicht in der Aufklärung eines Kriminalfalles oder der Erledigung eines Auftrags, sondern sie reflektieren und veranschaulichen letztendlich ihr persönliches Schicksal und führen im weiteren Verlauf der Handlung zur Selbsterkenntnis. Austers Kriminalromane sprengen den gewöhnlichen Rahmen dieses Genres. Die Form dient der Darstellung und Analyse existentieller Probleme und Fragen nach der menschlichen Identität. In Paul Austers Werk gibt es starke Bezüge zu den amerikanischen Transzendentalisten des 19. Jahrhunderts, namentlich zu Nathaniel Hawthorne und Henry David Thoreau. Es finden sich auch Einflüsse des Poststrukturalismus im Sinne von Jacques Derrida und der Psychoanalyse von Jacques Lacan.

**Quelle: Wikipedia**

**CHRONOGRAMMATA**

**SUPRA ALLATA**

**ARTIFICIOSE ATQUE INGENIOSE**

**CONFECIT**

**TOBIAS RÖSSLER**

# ECCE LATINITAS ACULEATA COLLOQUIOLUM LETTONO-RUTHENICUM

**EDGARIUS RINKĒVIČS (\*1973) PRAESES LETTONIAE  
ET DEMETRIUS ANATOLIDES MEDVEDEV (\*1965)  
PRAESES QUONDAM RUTHENIAE (2008-2012)  
ACERRIMA FRIGUTTIUNT\* VERBA LATINA**

*\*friguttire, -io twittern*



**EDGARS RINKEVICS (\*1973) PRAESES LETTONIAE**

**d.15. m.Mart. a.2024**

<https://twitter.com/edgarsrinkevics/status/1768533827897397433>

[@edgarsrinkevics](https://twitter.com/edgarsrinkevics)

I fully support [@EmmanuelMacron](https://twitter.com/EmmanuelMacron): we should not draw red lines for ourselves, we must draw red lines for Russia and we should not be afraid to enforce them. Ukraine must win, Russia must be defeated.

**Russia delenda est!**



**Дмитрий Анато́льевич Медвѣдев (\*1965) PRAESES QUONDAM RUTHENIAE**

d.15. m.Mart. a.2024

**Dmitry [Medvedev@MedvedevRussiaE](mailto:Medvedev@MedvedevRussiaE)**

Various nazi bastards who wish death on Russia - like rinkēvičs, the president of a non-existent latvia - must remember the fate of the fascists, the 1943 Kharkov trial included. Retribution is inevitable.

**Memento mori!**



# EPISTULA APERTA QUAM **OLAO OBLIVIOSO** SCRIPSIT **URSUS PENESTICUS**



EPISTULA APERTA  
QUAM  
**OLAO OBLIVIOSO**  
CANCELLARIO GERMANIAE  
SCRIPSIT  
**URSUS PENESTICUS**  
FACTIONIS ALTERNATIVAE GERMANIAE  
PRAEPOSITUS THURINGENSIS  
QUI  
AB ADVERSARIIS  
TAMQUAM **SATANAS**  
DAEMONIZATUR  
AB ASSECTATORIBUS  
TAMQUAM **SALVATOR**  
PRAEDICATUR

**hocke, hücke**, m. **kleinverkäufer, vornehmlich von eszwaaren**; mhd. hucke, in mitteldeutschen quellen hocke (mhd. wb. 1, 698<sup>b</sup>. [Lexer](#) 1, 1374): actionarius hocker, hock [Dief.](#) 10<sup>e</sup>; **penesticus hocke, hock, hocker, hocker, hecker, hockler 422<sup>b</sup>**; niederdeutsch ist der vocal der stammsilbe verlängert (hoke das.), und diese aussprache hat sich auch in mitteldeutschen gegenden (schon früh, vgl. unten die stelle aus den Nordhauser gesetzen) eingebürgert, so dasz Stieler und Frisch nur hoke geben und auch die unten aufgeführten mitteldeutschen schriftsteller, wenn sie auch das wort nach der gewohnheit der zeit mit ck schreiben, doch wol von der volksmäszigen form mit langem vocal nicht abgewichen sind. die von [Haltaus](#) 946 vorgetragene annahme, dasz hocke mit dem verbum hocken eine last tragen zusammenhänge, also den kleinen krämer bezeichne, der das vom bauer gekaufte und von ihm feil gebotene selbst auf dem rücken verträgt, hat grosze wahrscheinlichkeit. ouch sal kein *hoke* in der stat wichbilde adir flure koufen, nach nymande koufen lassen, huner, eiger, pottern adir kese, die sie vort vorkoufen wolden. statuten der stadt Nordhausen (15. jahrh.) in den neuen mittheilungen des sächs.-dür. alterthumsvereins 6, 2, 79; gieng zu dem hocken, der den hasen verkaufen solte. Simpl. 1, 351 Kurz; die leute wissens auf dem markte, was du für näscherei kaufst. wenn sich der herr nicht müste bestehen lassen, so würden die *höcken* nicht so viel geld markten. [Chr. Weise](#) liebesalliance 19; es soll auch kein *höcke* noch gast des markttags kaufen, dieweil der wisch aufgesteckt ist, noch kein *höcke* bei den bauern sitzen, bei des raths strafe. der stadt Leipzig ordnungen (1701) s. 292; *trödler* und *höcken*. [Tieck](#) ges. nov. 3, 122; so lasz die *krämer* nicht mein lied zu düten nehmen, noch meine reime sich bei niedern *höcken* schämen.

[Zachariä](#) 1, 22; jeder kleiner knabe, der schiffer, der *höke*, der bettler drängt sich. [Göthe](#) 1, 361.  
<https://woerterbuchnetz.de/?sigle=Lexer&lemid=H03658> 2 hucker stm. ( [BMZ](#) 1.698.b.5 6) md. hocker actionarius,  
**penesticus** DFG. 10c. 422b. hucker [CHR.](#) 4. 133,32. 153,43. 254,3. 256,8. 28.  
<https://rechenberg-historia.de/alte-berufe/> <http://ducange.enc.sorbonne.fr/PENESTICUS>  
**PENESTICUS**, Wichbild Magdeburg. art. 44: Qui **Penestici** et revenditores vocantur, si in aliquo demeruerint, vel  
excesserint, contra statuta civitatis..... in esculentis falsificandis, etc. Vox, ut videtur, **deducta a Penu**. Vide [Penaticus](#). et  
Haltaus. Glossar. German. voce *Hoke*, col. 946. P. Carpentier, 1766. ◊ Qui minutas res ad victum necessarias vendit.  
Instr. ann. 1308. tom. 5. Cod. diplom. Polon. pag. 31. col. 1: Contra militarem decentiam mercationes omnes, imo  
tanquam **Penestici** (**revenditores**) vilissimum genus mercationis exercent, poma, caules, raphanum, cepe, et alia et his  
similia vendentes.

<https://pravda-de.com/world/2024/02/28/86867.html> [Welt](#) 28.02.2024, 15:09

## EPISTULA APERTA QUAM OLAO OBLIVIOSO SCRIPSIT URSUS PENESTICUS

**Domine Cancellari Foederalis Olae Obliviose,**

paucæ sunt rationes politicae, de quibus nos congruimus, necnon  
perturbor manifestâ tuâ insinceritate.

Tamen agnosco te usque nunc restitisse prementibus belli pessimis  
instigatoribus. Impensê te rogo, ut pergas perseverare. Non scribo tibi, quia  
spero fore, ut ipse inde aliquid commodi accipiam, nam vitam vixi  
mihique constat quid agam. Sed scribo pro liberis meis liberisque Europae,  
qui habeant ius vitae pacificae. Cura, ne quando a rerum scriptoribus  
dicaris fuisse ille vir, a quo statuente, ut mitterentur missilia automata,  
excitaretur Bellum Mundi Tertium! In hac re noli concedere et serva  
pacem!

**Omni quâ par est observantiâ te salutat  
Ursus Penesticus**

**Dabam Erfordiae, d.27. m.Febr. a.2024**

**TEXTUS ORIGINALIS:** Sehr geehrter Herr Bundeskanzler Olaf Scholz, unsere  
politischen Schnittmengen sind übersichtlich und Ihre offenkundige Unehrllichkeit irritiert  
mich. Trotzdem erkenne ich an, daß Sie dem Druck der schlimmsten Kriegstreiber bisher  
widerstanden haben. Ich möchte Sie inständig bitten, weiter standzuhalten. Ich schreibe  
Ihnen nicht, weil ich für mich etwas erhoffe, denn ich habe mein Leben gelebt und bin mit  
mir im Reinen. Ich schreibe für meine Kinder und die Kinder Europas, die ein Anrecht auf  
ein friedliches Leben haben. Gehen Sie nicht in die Geschichte ein als der Mann, dessen  
Entscheidung Marschflugkörper zu liefern, den Dritten Weltkrieg ausgelöst hat! Geben Sie  
in dieser Sache nicht nach und erhalten Sie den Frieden! **Hochachtungsvoll Ihr Björn  
Höcke Erfurt, den 27. Februar 2024**

<https://www.youtube.com/watch?v=VVXrNSpEwJQ>



SAHRA WAGENKNECHT: Haben Sie alle den Verstand verloren? d.14. m.Mart. a.2024

# SAHRA AURIGA

VOSNE OMNES INCIDISTIS IN **INSANIAM?**



SAHRA WAGENKNECHT (\*1969)

d.14. m.Mart. a.2024

In oratione meâ in Conventu Foederali habitâ explico, cur disputatio insana de ruchetis *Tauri* mittendis tandem debeat finiri.

***Domina Praesidentissa, carae collegissae atque collegae,***

manifestum est Unionem (christiano-democraticam) ambitiosê studere, ut omnibus, quos pertaedet istius desolatae gubernationis semaphoricae<sup>1</sup>, quam evidentissimê demonstrat profecto fieri posse, ut terrae nostrae immineat aliquid etiam peius quam Cancellarius *Olaus Scholz*: id est Cancellarius *Fridericus Merz*. Iam gubernatio *Scholziana* unam lineam rubram transgressa est post alteram. Interim in tantum progressi sumus, ut Germani praefecti militum generales aeronautici summâ cum tranquillitate animi inter se disputent, quomodo fieri possit, ut germanicis missilibus automatis destruantur scopi in Russiâ siti. *Scandalon* autem nequaquam eo constat, quod sermo eorum interceptus est. *Scandalon* est interim nihil insoliti esse de talibus rebus disputare!

<sup>1</sup> **gubernatiō sēmaphorica** i.q. orig. *Ampelregierung*; \*sēmaphorum, -i n. *Ampel*. Quod nomen spectat ad tres colores semaphori (ruber – flavus – prasinus), quibus denominantur tres factiones, q.s.: Socialistae (SPD), Liberales (FDP), Prasini (Grüne).

Prasini nostri rerum militarium gloriosê peritissimi ex duobus iam annis nos docent, qualia arma *lusum mutantia* proxima nobis mittenda sint, ut Ucraina procul dubio bello vincat. Factio Liberalium interim Unionem et oppositionem adiuvat *petitionem arma mittendi* contra voluntatem cancellarii scribentes. Et in CDU tales homines qualis est Dominus *Kiesewetter* animo inflammato adhortantur, ut ruchetis germanicis destruantur ministeria Moscuensia. Cum Papa contra istam insaniam declaraverit melius esse gubernationem Chioviensem de pace disceptare quam nationem agitare, ut ipsa sibi interitum pararet, Papa a vobis increpitatur esse vilis praeco et assecla *Putini*. At si quis istas disputationes audit, non potest quin quaerat: **VOSNE PROFECTO OMNES INCIDISTIS IN INSANIAM?**

Totus mundus extra bullam Germaniae politicam<sup>2</sup> situs scit Ucrainam hîc bello non posse vincere. In Ucrainâ nullas iam pridem fieri victorias, sed nihil fieri nisi mortes – saevas et cruentas, omni die. Istud etiam non mutaretur, si Ucrainiis mitterentur missilia automata *Tauri*. Missione talium armorum nihil mutaretur nisi Russiae iudicio Germania definitivê fieret compugnatrix Ucrainae.

Itaque – venio ad finem – id, quod vos hîc temere et lusoriê in summum periculum subducitis, est securitas et – in casu pessimo – vita milionum hominum in Germaniâ viventium. Itaque tandem respiscite, nam periculum est in morâ!

## **SAHRA AURIGA**

### **„HABEMUS GUBERNATIONEM EUROPAE OMNIUM STULTISSIMAM!“**

SAHRA WAGENKNECHT: <https://www.youtube.com/watch?v=yJm4MTBfTOc>  
„Wie bescheuert ist das denn? Wir haben die dümmste Regierung Europas!“ WAGENKNECHT teilt aus. 3.856.829 Aufrufe 08.09.2022 [DEUTSCHER BUNDESTAG](#)

***Domina Praesidentissa, Dominae Dominique valdê honorabiles,***

in Germaniâ imminet calamitas socialis atque oeconomica. Miliones hominum timent tempora futura, sumptûs victûs comparandi raptim augescentes, rationes nummarias horrificas necnon in dies plures timent, ne amittant locum operandi. Etiam si iste nuntius nondum rumore pervênit usque ad ministerium oeconomicum: *Folium Mercatorium* scribit: *„In industriis principalibus fabricae seriatim claudentur“*. Nam – **Domine Habeck** – in oeconomiâ - proh dolor – haec res non sic fit ut in re politicâ: Dolendum est, quod, si qui minister nihil praestat utile, non debet annuntiare *insolventiam*. Tu autem huius rei es exemplum optimum. At ergolabus, qui propter

<sup>2</sup> **bullâ politica** i.q. orig. *Politblase* (cfr angl. *bubble*).

pretia exaucta non iam potest vendere, evanescet e mercatu. Ut clarê et simpliciter dicamus: Nisi sistimus displosionem pretiorum energiae, industria Germaniae forti ordine medio instructa mox nihil iam erit nisi narratiuncula boni temporis transacti. Magna autem pretia energiae – multo maiora quam in multis terris Europae – minimê ceciderunt de caelo – sed effecta sunt vestro errore politico! Quae sunt unâ ex parte effecta eo quod vos ignavissimê concessistis lucripetis avaris, qui divitias suas exaugerent ex damnis publicis. Complexûs mercatorii olei mineralis venditores in Germaniâ hîc anno lucra 38 miliardis euronum maiora accipient quam annis proximis praeteritis in medio acceperunt, immo fabricatores fluenti electrici 50 miliardis euronum. Tanta est pecunia, quae civissis civibusque cottidie surripiatur! Aliae nationes huic defectui mercatûs iam pridem moderatae sunt pretiis limitandis – aut saltim vectigalibus lucri immodici. Francogalli ascensum pretii fluenti electrici limitaverunt ad quaternas centesimas. Qui ad hoc faciendum non primo vecti sunt Bruxellam, ut ibi disceptarent. In Francogalliâ una litra benzini constat quadraginta centiis minus quam apud nos.

At *Minister oeconomiae germanicae* quid contribuit ad crisin energiae tollendam? Qui a lobiariis energiae sinit sibi scribi legem gasi transponendi, quâ civissae civesque, familiae et ergolabi, qui sic quoque iam damna patiuntur, cogantur ut pecuniam solvant additiciam! Difficile est dictu, quonam modo in mentem alicuius hominis venire possit tanta ineptia! **PROFECTO NOS HABEMUS GUBERNATIONEM EUROPAE OMNIUM STULTISSIMAM!** Sed non solum, quia ignavior es, quam ut resistas illis, qui ex crisi lucrum petant. Problema maximum est idea tua sanê bellissima, quâ bellum oeconomicum inexauditum excitaveris contra missorem olei nostrum omnium praestantissimum! Scilicet bellum Ucrainiense esse scelus! At quod vos creditis *Putinum* posse puniri eo quod miliones familiarum ad paupertatem redigatis, et industriam nostram destruatis, cum *Gazpromiani* lucra accipiant ingentia – eheu nonne est istud stultissimum?

Energia sat vilis est condicio industriae nostrae existentialis praestantissima. Et ubi invenisti energiam in locum gasi russici supponendam, *Domine Habeck?* Apud Americanos praebitores gasi fracturati, qui hîc tempore singulis navibus oleariis ducentenos miliones euronum lucri faciunt – scilicet hîc modo etiam compleri posse conditoria gasica! Sed ruinam familiarum et civium ordinis medii, quibus in fine solvenda sunt pretia ingentia, isto modo non prohibebis.

Iam videmus calamitatem inchoatam esse: Quod industriae consumptus gasi deminutus est quintâ ferê parte, ne credatis effectum esse subito augmento efficientiae! Scilicet istud reverâ eo effectum esse, quod productio iam nunc deminuitur dramaticê! Ceterum fabricae industriales ex tempore recentissimo praecipuê transponuntur in Civitates Unitas, quia pretium gasi in Germaniâ interim *octies* maius est quam ibidem. „*Americam fac denuo magnam!*“ - bellulum sanê hoc

est praeceptum, si observatur a gubernatione *Germaniae!* Dispensator principalis *Corporalitatís Industriæ et Commercií Germaniæ* (DIHK) exspectat Germaniam, si continuo servata erit ratio procedendi, quæ nunc adhibetur, post paucos annos circiter vicens vel maximè tricenis partibus centesimis fore pauperiorem quam nunc.

Ita est – sive hoc nobis placet sive displicet: Si volumus manere terra industrialis, egebimus materiis crudis russicis et – proh dolor – etiam ad tempus longius – russicâ energiâ. Itaque tandem finiamus istas sanctiones oeconomicas fatales! Disceptemus cum Russiâ de gaso denuo mittendo. Nos non sumus independentes! Nolite decipere et nos et vos ipsos!

*Tu autem, care Domine Habeck,* forsân reverâ non flocci facias, quid cogitent Germani electores *tui*. At tibi nequaquam est ius, quo destruas modicam possessionem et spem fortunæ futuræ milionum hominum, qui maximam partem *non* elegerunt factionem tuam. Quæ cum ita sint, *recede et abdica a munere tuo, Domine Habeck!* Nam dubium non est, quin, si munus tuum erit prorogatum, fiat fatalis interitus oeconomiae Germaniæ calamitosissimus!

Gratias ago.

**HAEC VERBA FECIT**

**SAHRA AURIGA**

*(vulgo: Sahra Wagenknecht)*

**DUCISSA UNIONIS SAHRAE AURIGAE**


**(BSW)**

**IN CONVENTU LEGATORUM FOEDERALI**

**ORATIONEM HABENS**

**FLAGRANTISSIMAM**





**ALLEGORIA STULTITIAE.**

**Pinxit Quinten Metsys Flandrus Antverpiensis (1456/1466–1530).**

# ALICIA PASCUALIS

## „GERMANIA NAVIGAT IN TEMPESTATEM GRAVISSIMAM!“

<https://www.youtube.com/watch?v=dT27FAzrKXE>

Alice Weidel auf 180! So hat sie noch nie mit der Ampel abgerechnet! - AfD-Fraktion im Bundestag 07.09.2022



ALICE WEIDEL (\*1979)

***Domina Praesidentissa valdê honorabilis, Domine Cancellari Foederalis valdê honorabilis, Dominae Dominique valdê honorabiles!***

Deo gratias ago, quod tandem finita nunc est *Domini Merz* et *Cancellarii Foederalis* mutua ostentatio vana atque inanis<sup>1</sup>. Qua re manifestavistis vos esse animi levioris

<sup>1</sup> orig. *Nabelschau*, verbatim *spectatio umbilici (proprii)*, quod verbum theodiscum derivatum est e nomine byzantinae graecitatis, quae spectat ad ritum religiosum: *ὀμφαλοσκήψις* sive *ὀμφαλοσκοπία*. Sed verbum theodiscum adhibetur sensu translato: valet i.q. ostentationem sui ipsius vanam et inanem, qualis exoriri solet ex indole, quâ *Narcissus* praeditus fuisse narratur.

atque socordioris, quam ut ritè ageretis de condicione gravissimâ, quâ sit patria nostra. Germania navigat in tempestatem ex Re Publicâ Foederali conditâ gravissimam. Agitur de fortunâ milionum hominum. Civibus innumeris imminet paupertas, oeconomiae ordinis medii collapsus, pecuniis publicis labefactatio perpetua. Et in ponte navigii rei publicae stat *nauarchus Titanicae*, qui nihil vult scire de montibus glacialibus et civium animos studet sedare monitis vanissimis. Tales nautae si navigio insunt, iter non poterit finiri nisi calamitosê. *Cancellarius foederalis*, qui est scandalo vectigalium atque pecuniarum involutus neque potest recordari ullam rem. *Minister oeconomiae*, qui cives diripit, ut pecuniam det lobiariis et complexibus mercatoriis, sed de cohaerentiis oeconomicis atque technologicis ne minimum quidem scit neque scit quidem quid sint *insolventiae* – ut heri in spectaculo colloquendi patefecit. *Minister rerum fiscalium*, qui debita obvelat systematicê – *ministra rerum internarum*, quae caeca est oculo sinistro, ab islamismo oculos avertit et *magistratu constitutionis protegendae* male abutitur ad gubernationem protegendam. *Minister iustitiae*, qui datâ operâ iura fundamentalia deminuit, *minister valetudinis* morbo virali obsessus, qui non desinit verba facere insana atque inepta. *Ministra defensionis*, quae instrumentis militaribus nescit ûti nisi sunt vehicula vacationis degendae. Et denique *ministra rerum externarum*, quae promittit se staturam esse ab Ucrainâ, minimê curans, politica sanctionum quam duros et nocuos effectûs habitura sit ad cives proprios. ‚*Non flocci facio, quid cogitent electores mei*‘ - hoc apparet esse praeceptum huius gubernationis foederalis! Vestrum *ius iurandum muneris suscipiendi*, quo vos obligati estis, ut detrimenta averteretis a populo germanico, fit *periurium*. Vos maioris facitis phantasias ideologicas et errores, in quibus pergitis perseverare. Hoc optimê demonstratur eo quod mordicus perseveratis in ultimis officinis nuclearibus claudendis. Vos huius terrae oeconomiam destruitis, ut sequamini dogmata irrationalia asseclarum Prasinorum et lobiariorum. Omnem causam habetis, quâ timeatis, ne fiat vobis autumnus et hiems ferventissimae. Nam civibus est omne ius resistentiam contra talem gubernationem et contra talem politicam in viâ manifestandi. Scilicet iisdem hoc ius esse!

Inflatione monetali citatissimâ, monetâ moribundâ, necnon pretiis energiae raptim augescentibus miliones civium vehementius patiuntur quam ‚*paululum frigendo*“ - ut a gubernatione certiores fiunt sub praetextu benevolentiae misericordis. Etiam res familiares ordinis medii in discrimen veniunt. Cives non iam possunt solvere rationes nummarias, eorum reditûs, compendia, vindemiolae rapidê depretiantur. Iisdem imminent paupertas et obnoxietas curae publicae; sed eadem non fit infinitê, tantummodo tam diu, usque dum pensores vectigalium decoquant et pauperescant.

Multi, qui hodie adhuc victum familiae suae possunt sustentare, mox privabuntur loco suo operandi. Fabricatores ordinis medii iam nunc seriatim desinunt merces producere, quia non iam possunt solvere rationes energiae nummarias. Pistorum atque

fabricae laetaminis, fabricatores vitri et porcellanae, officinae fusoriae et fabricae alumini. Inflatio monetalis et crisis energiae destruunt ordinem ergolaborum medium et stratum civium medium. Vester „*fascis deonerandi*“ neque prodest nostro ordini medio neque strato nostro medio. Mantisae promittuntur, pro quibus pecunia solvenda est ipsis civibus operantibus. Vos distribuitis pecuniam, quam civibus antea abstulistis et hoc simulatis esse beneficium. Sexagenis centesimis (60%) civium Germaniae rem familiarem possidentibus omnia quae accipiunt consumenda sunt ad vectigalia pendenda et victum sustentandum. Iisdem nihil restat comparcendum.

Haec hactenus de statu *parsinarum*<sup>1</sup> disquirendo. Vos Prasini hîc versantes, nolite capita quassare, legite has disquisitiones. At vos hoc nolle neque ullo modo intellegere tales disquisitiones, ipsi patefacitis rebus politicis a vobis factis. Si earum resultatum est illud *miraculum oeconomiae Prasinum*, quod vos in certamine suffragiorum annuntiavistis, - gratias vobis ago pro *nihilo*!

Et quod hypocriticê cives appellatis atque admonetis, ut parcius vivant et victimas ferant, ut lavacra pluvia sumamus quam frigidissima, ut utamur drappis lavatoriis – pro Ucrainâ, pro energiis renovabilibus, pro climate – ab istis desistite, nam cives non iam volunt ista audire! Ut patria nostra in istâ crisi perduret, necesse est suscipere inflationem monetalem crisinque energiae tollendas. De iis rebus in hac disceptatione ex vobis nihil audivi! Inflatio monetalis et pretia energiae iam ex plus uno anno augentur. Utraque calamitas est resultatum directum rei politicae ex decenniis malae! Crisis energiae exorta est causis internis. Ista directê efficitur ex *transitione energiae*,<sup>2</sup> quâ electrificinae carbonariae et nucleares ineptissimê claudantur horrendisque vectigalibus tributisque curatur, ut copia fluenti electrici consulto deminuat et fluentum electricum fiat carius et nos unilateraliter facti simus obnoxii gaso russo.

Haec quidem est veritas! Prasini ne infiteantur se sibi proposuisse, ut sumptûs energiae augeantur ideoque *petitio energiae* deminuat. Apparet vos nunc hoc propositum assecutos esse. Praeterea *inflatio monetalis* efficitur eo quod *Mensa Argentaria Europae Centralis (EZB)* utitur politicâ nullius pecuniae hauriendae immoderatâ, ut solvatur pecunia pro rationariis publicis<sup>3</sup> obaeratissimis et inflatis. Cum politica *quarantaenae generalis*<sup>4</sup> per duos et dimidium annos et politica sanctionum temeraria bello Ucrainae effecta valuissent, aedificium huius terrae fragiliter constructum collapsum est. Consequentiae autem manifestae sunt. Nemo nisi gubernatio vestra easdem consequentias non vult cognoscere neque adhibere apta remedia:

1 \**parsîna*, -ae f. i.q. theod. *Sparkasse*.

2 *trânsitiō energîae* i.q. theod. *Energiewende*, angl. *energy transition*

3 *ratiōnârium pûblicum* i.q. theod. *Staatshaushalt*.

4 +*quarantaena generâlis* *Lockdown*.



**Primo: Oportet vectigalia deminuantur.** Vectigal energiae, vectigal auctarium, tributum generale reddituum, tributum carbonei dioxydati deminuantur verêque tollatur et aboleatur indicibilis *Lex Energiarum Renovabilium (EEG)*.

**Secundo: Mensa Argentaria Europae Centralis (EZB) oportet obligetur, ut mandatum suum exsequatur et curet pecuniam stabiliendam.**

**Tertio:** Erogationes rei publicae oportet redigantur ad res gravissimas: securitas interna atque externa, satisfactio iustitiae publicae ordinisque publici. Finiantur politica ideologiae, curatio clientelarum, distributio pecuniae ubiquitaria!

**Quarto: Immigratio illegalis et immigratio in systemata socialia iam frequentiores sunt quam a.2015.** At vos immigratione condicionis ferê experti aperitis ultimas cataractas et mittitis nova signalia migrationis.

**Quinto: Praebitio energiae oportet augeatur.** Oportet productionem energiae et importationes energiae liberemus a retractionibus moralibus. Ut dicam clarê atque perspicuê: Tandem desinamus pecuniam dilapidare pro fontibus energiae vi aeolicâ et solari praeditis! Qui neque sunt in crisi bus sat stabiles neque sat constantes. Vis aeolica minorem tantum partem sui contribuit ad Germaniam alendam, sed vis nuclearis ferê centenas partes centesimas (100%).

**Sexto: Oportet denuo gasum invehatur ex Russiâ, et, si necessarium est, aperiatur gasiductus Nordstream 2.** Quidni? Scilicet!

**Septimo: Oportet prorogetur tempus operandi earum officinarum nuclearium, quae adhuc sunt activae. Oportet reactiventur officinae nucleares modo clausae et scilicet oportere, ut aedificentur novae officinae nucleares.** Nam egemus vi nucleari ad energiam puram et securam et sat vilem energiam pariendam.

Euge quam bellulum est, **Domine Merz**, quod ipsa CDU hoc paulatim videtur comprehendere; sed tuae factioni ex 16 annis oboedienter sequenti Prasino-russatos, pro istâ miseriâ nobis gratiae sunt agenda!

**Transitio energiae in nihilum** est resultatum vestrae politicae et sedecim annorum Merkelianorum. At transitione energiae et abusu crisis, quo transitio acceleretur, nihil efficitur nisi ruina oeconomiae certissima. Cives huius terrae – homines operantes et ordo medius, industria, egent libertate et aère ad respirandum neque egent semper novis praeceptis et praescriptionibus molestis. Nullo autem modo iidem egent – ipsâ in condicione tristi quâ nunc sunt - fingatis hoc animis! - **novâ lêge quâ protegantur contra infectiones!** In plerisque terris virus coronae iam tractatur ut virus influenzae

temporarium – sine chao remediorum, sine coactione mascas gerendi et necessitate vaccinationis. Lège, de quâ cras vultis suffragia ferre, fit *status exceptionis* institutio continua et *deminutio iurum fundamentalium* fit casus normalis. Pudeat vos! Factioni Liberalium infamiae est, quod eadem parata est ad talem legem fovendam. Nec prodest eidem factioni sententia *Volfgangi Kubicki* prolata.

At fortasse – sic quidem opinor – vos iam nunc vultis ansam habere, quâ *per ianuam posticam protectionis infectionum* prohibeatis *manifestationes contra politicam vestram*. **Domina Fäser** nullam sanê occasionem omittit, quin manifestationes gubernationis vituperandae suspectas habeat de *radicalismo dextro*. En quantam declarationem naufragii fortunarum huius gubernationis, quae pedibus conculcet libertatem manifestandi atque sententiam dicendi!

Tandem finem imponite itineri temerario politicae coronariae et energeticae et migratoriae! Tandem revertite ad veritatem ipsissimam! Corrigitte politicam vestram falsam, nolite iterum iterumque incidere in novos errores! - ah, ita, vos Prasinus verê decet ista irrisio – tandem hoc memoriae mandate! Homines hoc recordabuntur, quomodo vos mihi responderitis, qui vestrâ politicâ hanc terram directê destruatis. Nisi vultis, nisi scitis cursum vestrum mutare, *recedatis, quaeso, et abdicetis a munere vestro, nam summa omnium huius terrae deoneratio erit abdicatio vestra*.

## ALICIA PASCUALIS

**„ISTA GUBERNATIO ODIIT GERMANIAM!“**

ALICE WEIDEL: Oratio in Conventu Foederali Habita **31.01.2024**

*Domina Praesidentissa valdê honorabilis, Domine Cancellari Foederalis valdê honorabilis, Dominae Dominique valdê honorabiles!*

Ii qui ante me locuti sunt, evidenter demonstraverunt se esse leviores atque socordiores, quam ut tractarent vera problemata civium huius terrae.

Incendia fiunt in Germaniâ. Incendiaria autem est ista gubernatio, quae constat ex politicis ultra vires ineptê studiosis atque ideologis pertinacissimis. Itaque cives huius terrae laboriosissimi atque vexatissimi in vias eunt manifestaturi: agricolae, fabri, cives ordinis medii, caupones, mercatores, negotiatores transportationis. Qui pergunt reclamare, quia non iam possunt vivere conditione solitâ – quam rem diurnarii solent reticere. Dodrans pars Germanorum fovet reclamaciones ordinis medii – dodrans pars exoptat, ut ista gubernatio finiatur.

Vos hanc terram vastantes facitis *tabulam rasam*. At pro eo, ut corrigatis menda vestra, – heus **Domina Esken**, auctor librorum puerilium<sup>1</sup> hîc sedet – ipsos vos praeponitis expeditioni inexauditaè diffamandi – contra reclamaciones ordinis medii et contra vim oppositionis, in quâ in dies plures cives spem suam deponunt. Hoc facitis secundum sententiolam q.e.: **“INGRATOS CIVES ISTOS ET ISTAS/ APPELLA DEXTROS EXTREMISTAS!”**<sup>2</sup> - Vestra caterva adiutoria *Stasianaè* illi haud absimilis, cui nomen est *“Correctiv”* - una ex multis *organizationibus non-gubernationalibus (NGO)*, quae a vestrâ gubernatione pecuniis vectigalium saginatur – vobis exemplar praebuit imitandum. Mendaciis incredibilibus, diffamationibus, pessimis rumoribus. Praeceptrix autem *Correctivi* nunc sibi non temperat, quin mentiatur impudenter – quae contendit se verbo deportationis numquam usam esse – tantum iam res progressa est – denuntiatio vectigalibus fovetur contra factionem competitricem!

Ne pudet quidem vos pervertere ius manifestandi – quod est ius libertatis civium erga rem publicam – neque vice versâ! Pro eo, ut homines audiat de necessitate suâ lamentantes, vos ipsi manifestatis contra oppositionem! Neque vobis displicet, quod in talibus manifestatiunculis prorsus apertè ostentantur toechocollemata<sup>3</sup>, in quibus homines admonentur, ut interficiant politicos oppositionis: Verba quae sunt **“NECATE ALTERNATIVOS !”** in iisdem scripta sunt et vos applauditis! Praeses foederalis electores Factionis Alternativae appellat **“rattos”**, et candidata Liberalium principalis **“muscas stercorarias”** - pudeat vos! - *Istius spurcitiae vos pigeat, pudeat, paeniteat!* Vestrâ expeditione diffamandi indicibili, pro quâ pecunias vectigalium erogavistis, animis hominum huius terrae discordiam inseritis – idque facitis nullâ aliâ causâ nisi ut mordicus retineatis potestatem vestram. Id quod scripsistis consilium oeconomiae publicae reparantes iam reparatum et inflatum et infeliciter factum – istud est documentum vestrae arrogantiae atque ineptiae. Loquimini de parsimoniâ, sed onera nemini imponitis nisi civibus. *Ergolaborum*<sup>4</sup> animi sunt pessimè affecti – ista gubernatio semaphorica est impedimentum et periculum Germaniae omnium maximum.

Negotiationes<sup>5</sup> ordinis medii seriatim hastam abiciunt et fugâ salutem petunt. Index firmarum<sup>6</sup>, quae aliquot milia tollant locorum operandi aut transponant in terras peregrinas, in dies fit longior. Cui insunt nomina illustria – a *BASF, Bayer per Bosch*

1 **auctor librōrum puerilium** theod. *der Kinderbuchautor*. His verbis *Alicia* alludit ad *Robertum Habeck*, ministrum oeconomiae, qui scribit etiam libros pueriles.

2 **Ingrātōs civēs istōs et istās/ appellā dextrōs extrēmistās!** i.q. orig. „Wird der Bürger unangenehm, bezeichne ihn als rechtsextrem!“

3 **\*toechocollēma**, -atis n. i.q. theod. *Plakat*, angl. *poster*.

4 **ergolabus**, -ī m. i.q. theod. *Unternehmer, Arbeitgeber*.

5 **negōtiātiō**, -ōnis f. i.q. theod. *Unternehmen*.

6 **\*firma**, -ae f. i.q. theod. *Firma*. Cfr C.W. SCHWEITZER: *De firma mercatorum*. Leipzig 1803.

et *Continental*, *Mercedes*, *Miele* usque ad *SAP* et *ZF*. *Robertus Habeck* minister *de-industrializationis*, qui – ut nôtum est – amorem patriae semper putabat esse vomitu dignum, nunc ergolabos admonet, ut patriotismo dediti manentes decoquant. Hoc est consilium istius gubernationis foederalis. Germania immersa est *recessioni oeconomicae*. Haec nunc est unica terra industrialis, quae decreseat. Sed ista decresentia Germaniae neque effecta est a *Putino* neque a mundo neque vi alicuius catastrophae climatis mundani phantasiâ confictae – ista calamitas terrae nostrae fatalis a nemine effecta est nisi ab istâ gubernatione ineptissimâ, idque ratione politicâ eius destructivâ decresentiam et caritatem energiae consulto efficiendi, vectigalia iterum iterumque augendi, prohibendi, depropriandi, pecuniae profundendae, cum hominibus narretis mendacissimê Germaniam esse terram *divitem*. Dives in Germaniâ nemo est nisi gubernatio saginata et furacissima – sed non pensor vectigalium! His diebus aliquot centum milia Germanorum accipiunt rationem sumptuum calefactionis neque adhuc sciunt, quomodo eandem solvant. Acceptores salarii mediocris, reddituarii, familiae, cives ordinis medii, homines professionis liberae non possunt, quin in annos parcus vivant, ut victum suum sustentare possint. At vos nequaquam vivitis parcê atque modestê. Vos gaudetis novis helicopteris atque classibus vehiculorum emendis. Membra vestra consistorii summas pecuniae ingentes erogant pro tonsoribus et photographis. Ministra rerum externarum magno cum comitatu ad missiones odiosas faciendas circumvolat ubique terrarum, cum acceptor salarii medii nesciat, ad quantum emendum sufficiat pecuniola sua. At vos non desistitis a vestro ***Officio Cancellarii*** aedificando, quod constat 88 milionibus euronum et cuius finis potius quam *usus* est ***ostentatio***. Sôlum aedificium supplementi gigantomanicum ferê tanti est pretii quanti victima annua additicia, quod postulare vultis ab agricolis. Vos duobus tantum annis apparatus officialium inflavistis circiter 11.500 (undecim milibus quingentis) locum operandi novis. Bellula sanê munuscula pro vestris favorabilibus, pessima pro pensoribus vectigalium, pro quibus ista beneficiola constant 8 miliardis euronum! Ubi aliae gubernationes subsidia internationalia parsimoniae causâ deminuunt, vos ubique terrarum urgentes profunditis pecuniam Germaniae vectigalium. Fortunam agricolarum Germaniae priorum in periculum subducitis fatale, ut vix uni miliardae parcatis, sed pro inceptis agrariis ineptissimis quarumcumque nationum alienarum pergitis erogare aliquot centum miliardas euronum. Viae illae birotariae Peruviana, quae saepe commemorantur, sunt unum tantum ex aliquot centum exemplis *inceptorum incrementi adiuvandī*<sup>1</sup> supervacaneorum, quae in summâ pensori vectigalium constant 33 miliardis euronum. Pro nihilo, nisi pro organizationibus non-gubernationibus favorabilibus. Vos dilapidatis pecuniam, sed nullam accipitis remunerationem: pro oecologicis armariis frigidariis in Columbiâ adhibendis, pro politicâ rerum externarum in Africâ Meridionali, pro Talibanis Afganistaniensibus necnon pro tromocratis Hamasianis Gazensibus. Ipsam in Indiam mittitis miliardas - quamquam

---

1 **inceptum incrementi adiuvandī** i.q. theod. *Entwicklungshilfeprojekt*.

India volat ad lunam! - cum apud nos infrastructura dilabatur, scholae mucescant et ferrugine obducantur, et discipuli partim non iam rectê sciunt legere, scribere, calculare.

Contra legês físicas atque logicas vos pergitis pascere *monstrum subventionis*, quod appellatis *transitionem energiae*. In ratione politicâ energiae Germania est autoraedaria mundi omnium maximê *temeraria*. Sumptûs Germaniae energetici raptim augescunt ultra omnes dimensiones: iidem autem causa sunt praecipua discriminis domestici. Energia Germanis constat ferê unus *bilio* euronum. Id est numerus unius cum – *cum quot zerotibus, Domine Habeck? - Scilicet te hoc nescire!*<sup>1</sup> - Tanta erogationes non sunt investitiones ad futurum spectantes, sed tantis pecuniis profundendis fit pessima destructio infrastructurae antea ritê operatae, quam mundus unquam spectavit.

Nec vos desinitis terram inundare immigratoribus illegalibus. Omnis homo potest venire, nemo debet abire. Vos quam citissimê facitis novos electores, iisque illegaliter per ius morae occasionalis comparatis legalitatem simulatam. Vestra lex deportationis accelerandae reverâ est lex deportationis impediendae, si pensor vectigalium etiam obligatur, ut petitoribus asyli recusatis pecuniam solvat patrono dandam, ut iterum ius experiatur ad abitum evitandum. Istâ politicâ migratoriâ id efficitis, ut magistratûs communales desperent, ut systemata socialia displodantur, ut egestas habitaculorum exasperetur necnon ut securitas terrae nostrae interna perturbetur. Sed summa calamitatum omnium quas efficitis est haec: *Vos Germanis aufertis patriam*.

Plus mille mulieres quotannis fiunt victimae violentiae sexualis ab immigratoribus effectae. Septem milia mulierum inde ex praxicopemate<sup>2</sup> cancellariae christianodemocraticae a.2015 facta. At de istâ re vos tacetis; de istâ re etiam tacent media diurnaria. Sub titulo fraudulento "*pecuniae civicae*" vos fabricavistis

1 Scilicet milionem habere 6 zerotes (sive zera), miliardam 9, bilionem habere 12 zerotes. *Alicia ingenio splendido praedita* his verbis irridet *Robertum Habecium* ministrum oeconomiae – disciplinae, cuius ipse omnino imperitus est, ut in quâdam emissione televisificâ patefactum est, ubi nescivit, quid esset *insolventia* (notio oeconomica fundamentalis, quam novit (et timet) omnis tabernulae aut officinulae possessor decocturus. Difficile est inventu, quidnam *Robertus* verê sciat et definitivê; rumor fert eum verbatim *nescire bis bina quot sint*. Sed *ignorantia crassa verêque barbarica* quia est totius gubernationis peculiaritas genuina, defectus Roberti dyscalcularius neminem offendit. Interim iam totus ferê mundus ridet de ministrulae nostrae rerum externarum stupiditate, quae gloriata sit se ad terras iter fecisse aliquot centum milibus chiliometrorum remotas (quamquam globus terrestris habet ambitum 40.000 tantum chiliometrorum) et affirmaverit se cum *Putino* (quem Annalenula, quo est cerebello murino, putat esse hominem omnium pessimum) non collocuturam esse, antequam iste se convertisset per 360 gradûs (scilicet Annalenulam voluisse dicere Russum illum sibi exosum debere se convertere per 180 gradûs angulares, ut fieret vir novus (Annalenulae politicâ rerum externarum feministicâ suavissimê affectus). Interretialiter interim innotuit in omnibus terrae continentibus, immo, et apud Beduinos deserti Saharici nomades et in Esquimensium sive Inuitarum casis niveis (*iglu*) discipulas discipulosque vehementer ridere miratos de ignorantia ministrulae Germaniae rerum externarum. Germania dicitur quondam in claritudinem pervenisse poetarum et virorum doctorum et philosophorum scientiâ et sapientiâ; illis temporibus iam pridem transactis terra nostra gubernationis suae stultitiâ reliquae parti orbis terrarum incitamenta dare non desinit ridendi et cachinnandi.

2 \**praxicopēma*, -atis n. *Putsch*.

magnetem migrationis, cuius sumptûs iam pridem sunt immoderabiles. Iam imminet proximum foramen fiscale.

Vos deseritis cives ibi, ubi egeant re publicâ urgender. Quandonam resarcientur damna permulta vestrâ vaccinatione covidianâ facta? Quandonam resarcientur? Quandonam fiet retractatio istius calamitatis horrendae?

Iterum iterumque hîc loco attuli, quae necessario debeant fieri, ut haec terra reconvalescat.

Iterum: Limites ut claudantur et custodiantur. Ut repellantur immigratores illegales. Ut reducantur petitores asyli repudiati et scelerati et illi, qui nullum habeant ius in Germaniâ manendi. Haec est efficax adhibitio iuris et lēgis, post annos, quibus imperavit iniuria. Vos vultis deportationem facere poenalem. Hoc nos vidimus in istâ expeditione vestrâ. Ut finiatur transitio energiae. Ut deminuantur erogationes publicae et scilicet: Tollatur pecunia civica peregrinis danda, qui numquam pecuniam solverunt aerariis socialibus. Peregrinis dentur loco pecuniae *realia*.

At argumenta rationalia vos non iam assequuntur. Vos neque *scitis* Germaniam bene gubernare neque *vultis*. Vos Germaniam subvertitis atque praecipitatis. Necnon vobis dico, quare:

**QUIA VOS ODISTIS TERRAM PROPRIAM; QUIA VOS GERMANIAM ODISTIS! ISTA GUBERNATIO ODIIT GERMANIAM!**

**SALTIM CONCEDITE, UT FIERI POSSIT MUTATIO POTESTATIS DEMOCRATICA ET DATE VIAM LIBERAM, UT FIANTE NOVA SUFFRAGIA !**

**HAEC VERBA FECIT**

**ALICIA PASCUALIS**

*(vulgo: Alice Weidel)*

**DUCISSA FACTIONIS ALTERNATIVAE  
GERMANIAE IN CONVENTU LEGATORUM  
FOEDERALI  
ORATIONEM HABENS  
FLAGRANTISSIMAM**



## **DE BASILIO ARCHIPOVIO SERVATORE MUNDI**



**Василий Александрович Архипов (1926-1998)**



[https://de.wikipedia.org/wiki/Wassili\\_Alexandrowitsch\\_Archipow](https://de.wikipedia.org/wiki/Wassili_Alexandrowitsch_Archipow)

**Wassili Alexandrowitsch Archipow** (russicê Василий Александрович Архипов, transcriptio anglica *Vasiliy Arkhipov*; \*d.30. m.Ian. a.1926 in vico *Sworkowo*, in gubernamento Moscuensi, Unione Sovieticâ; † d.19. m.Aug. a.1998 in Russiae oppido *Kurawna*) fuit officarius militum exercitûs nautici, denique vice-archithalassus[1][2]. In *Crisi Cubanâ* (m.Oct. a.1962) îdem recusavit ne assentiretur torpedini atomicae iaculandae. Hôc facto fortasse impedivit, ne fieret Bellum Mundanum Tertium.[3]

## Vita.



### HELICOPTERUM AMERICANORUM NAUTICUM CIRCUMROTAT RUSSORUM NAVEM SUBAQUANEAM B-59

**Archipovius** oriundus erat ex vetustâ familiâ agricolarum. Eius pater fuit **Alexander Nikolajevitsch Archipov**, eius mater **Maria Nikolajewna**, e gente *Kosyrewa*. Per 9 annos in scholâ eruditus a.1942 in 10.am classem *Scholae Militiae Nauticae Specialis* et m.Dec. a.1942 in cursum praeparatorium *Athenaei Officiorum Pacifici* est cooptatus. A.1945 tiro officarius in vehiculo Classis Pacificae narcas arcendi particeps factus est pugnarum contra Iapones factarum. Altero Bello Mundano finito unâ cum tironibus officariis tertii anni studiorum iussus est *Bakuam* ire in *Kirowiano Athenaeo Officiariorum Vexilli Rubri Caspico Militum Nauticorum*<sup>1</sup>, quod absolvit a.1947.

**Archipovius** usque mensem Decembrem a.1975 operatus est variis muneribus fungens nauarchi navis submarinae usque ad munus imperatoris divisionis navium submarinarum in Classibus Maris Borealis, Nigri, Baltici.

A.1951 et a.1953 **Archipovius** finivit institutiones speciales officiariorum in navibus submarinis versantium et a.1968 alios cursûs institutorios sovieticae militiae nauticae.

<sup>1</sup> russicê: Каспийское Высшее Военно-Морское Краснознаменное Училище (КВВМКУ)

Ab a.1975 usque ad a.1985 **Archipovius** fuit praefectus *Caspicae Scholae Altioris Belli Marini*. Deinde emeritus est.[4]

**Archipovius** inter crisin Cubanam munere functus est in nave submarinâ B-59 (Б-59) classis *Projekt 641*. D.27. m.Oct. a.1962 haec navis submarina invasit in *zonam quarantaenae* circa Cubam ab USA constitutam. Quamquam antea nullo modo impetuosê se gesserat, a navibus Americanorum destructoriis in aquis internationalibus circumdata est. Ut navis sovietica ad identificationem emergeretur, Americani deiecerunt bombas aquaticas exercitorias et quinque granata manualia. [5] [6] Unâ ex parte Americani nesciverunt hanc Russorum navem subaquaneam esse armis nuclearibus instructam, ex alterâ parte **Valentinus Sawizki**[7], nauarchus eiusdem navis propter bombas et granata deiecta conclusit impetum fieri in navem russicam[5].

Ad arma nuclearia adhibenda in nave submarinâ necessarium erat tres officarios assentiri,[8] quorum nomina fuerunt **Archipovius** (praeceptor unionis classium), **Sawizki** (nauarchus), officarius politicus **Iwan Maslennikow**. Archipovius primo unicus fuit, qui negaret arma nuclearia esse adhibenda,[8] quae ut adhiberentur in casu impetûs facti. Denique eidem contigit, ut Sawizkio persuaderet, ut navem submarinam emergeret[7] ad nova imperia Moscuensia exspectanda. Itaque navis subaquanea B-59 nulla tela nuclearia iaculata est.

Archipovius 72 annos natus mortuus est effectum morbo cancro renalis. Verisimile est hunc morbum effectum esse infortunio radioactivitatis in nave submarinâ atomicâ K-19 classis *Projekt 658* m.Iul. a.1961 facto, quattuordecim dimidioque mensibus ante Crisin Cubanam.

Autumno anni 2002 demum in *conferentiâ diei Crisis Cubanae annalis*, quae facta est *Havannae*, officialiter innotuit virum nomine *Archipovii* servavisse genus humanum a bello atomico.[10][1]

### Insignia honoris, quibus Archipovius ornatus est

-  INSIGNE VEXILLI RUBRI
-  INSIGNE STELLAE RUBRAE
-  INSIGNE MUNERIS QUOD FUNCTUS EST PATRIAE CAUSA IN EXERCITU IPSIUS
- UNIONIS SOCIALISTICARUM RERUM PUBLICARUM SOVIETICARUM
- ALIA INSIGNIA ET NOMISMATA UNIONIS SOCIALISTICARUM RERUM PUBLICARUM SOVIETICARUM

Post obitum Archipovio a.2003 et a.2005 attributum est praemium Rotundorum Itolorum Nationale: *Angeli del nostro tempo*. [11]

M.Iulio ineunte a.2018 ab urbe Bonnâ petitum est, ut quaedam platea appellaretur secundum nomina Archipovii atque Stanislai Petrovii, qui etiam videtur impedivisse, ne fieret bellum atomicum.[12][13][14] Sed haec petitio est recusata [15].

## Receptio culturalis popularis

**Crimson Tide – In tiefster Gefahr** a.1995

**K-19 – Showdown in der Tiefe** (2002)

Hardcore-Punk-Band **Converge**: *Arkipov Calm (The Dusk in Us, 2017)* [16]

## Cinema

- Nick Green, Regie: *Der Mann, der die Welt rettete – Das Geheimnis der Kuba-Krise Dokumentation*. (Dokumentation, mit Interviews der Ehefrau Archipows. Kooperation von Russland, Dänemark und den USA) Deutsche Fassung (2012), 45 Min.[17]

## Collectio imaginum, scopocinematum, receptionum acusticarum

- *Soviets Close to Using A-Bomb in 1962 Crisis, Forum is Told*, Artikel von Marion Lloyd im *Boston Globe*, 13. Oktober 2002.
- Kuba-Krise: *Aufklärungsbilder schockieren die Welt*. In: *Der Spiegel*. 16.Oktober 2012, [ISSN2195-1349 \(spiegel.de\)](https://www.spiegel.de) [abgerufen am 4.November 2022]).
- Stephan Kroener: *Kuba-Krise: Der Tag, an dem ein Mann einen nuklearen Weltkrieg verhinderte*. In: *Spektrum Geschichte*. Spektrum.de, 27.Oktober 2022, abgerufen am 4.November 2022.
- Galina Sergejewna Selkina: *Schulleiter der KWWMKU*. Abgerufen am 31.März 2014 (russisch).

## Loci testes

- 1) *Wassili Archipow: der Mann, der die Welt rettete*. In: *bundeswehr-journal*. 21.Juni 2016, abgerufen am 4.November 2022.
- 2) Roberts, Priscilla Mary: *Cuban Missile Crisis: The Essential Reference Guide*. Abc-Clio Inc, 2012, [ISBN 978-1-61069-065-2](https://www.abc-clio.com), S.13–14 ([1]).
- 3) Interview von Sven Lilienström mit Frau Andriukowa, Tochter von Admiral Archipow, *MarineForum* 11-2020, S. 36–37.
- 4) Mathias Zschaler *Ein Engel am Drücker* in *mare* No. 113, S. 32ff, Dezember 2015/Januar 2016, ISSN 1432-928X
- 5) **The Washington Post**: *The Cuban Missile Crisis: 40 Years Later*. 16.Oktober 2002, archiviert vom [Original](https://www.washingtonpost.com) am 10.Juni 2011; abgerufen am 9.Juli 2023.
- 6) National Security Archive an der [George Washington University](https://www.gwu.edu): *Chronology of Submarine Contact During the Cuban Missile Crisis*. Abgerufen am 21.November 2008.
- 7) National Security Archive an der [George Washington University](https://www.gwu.edu): *The Submarines of October*. 31.Oktober 2002, abgerufen am 21.November 2008.
- 8) **The Times**: *Headlong into the flames*. 22.Oktober 2006, abgerufen am 27.September 2008.
- 9) Michael Evans: *The Cuban Missile Crisis, 1962: Press Release, 10 October 2002*. Abgerufen am 6.Oktober 2018.
- 10) Kevin Sullivan: *40 Years After Missile Crisis, Players Swap Stories in Cuba*. 13.Oktober 2002, [ISSN0190-8286 \(washingtonpost.com\)](https://www.washingtonpost.com) [abgerufen am 6.Oktober 2018]).
- 11) **Федерация мира и согласия**. Archiviert vom [Original](https://www.russia-land.com) am 25.Januar 2012; abgerufen am 17.Januar 2013 (russisch).
- 12) **Gedenken an zwei Weltenretter**, Neues Deutschland, 31. August 2018
- 13) Medienwerkstatt Bonn: *Bürgerantrag in Bonn*. Medienwerkstatt Bonn, 26.August 2018, abgerufen am 19.Oktober 2018 (d).
- 14) Uwe Werner Schierhorn: *Wird es einen Archipov-Petrov-Platz in Bonn geben?* 30.August 2018, abgerufen am 19.Oktober 2018.
- 15) **Archipov-Petrov-Platz für Bonn abgelehnt**, Neues Deutschland, 7. September 2018
- 16) **pitchfork.com**: *Converge's Jacob Bannon Untangles the Meaning of Every Song on His Band's New Album, The Dusk in Us*, 7. November 2017, abgerufen am 24. März 2019.
- 17) *Der Mann, der die Welt rettete* | *ZDF Enterprises*. Abgerufen am 27.Juni 2022.

## BASILIVS ARCHIPOVIUS VIR QUI SERVAVIT MUNDUM

<https://www.bundeswehr-journal.de/2016/wassili-archipow-der-mann-der-die-welt-rettete/>  
d.21. m.Iun. a.2016



### ECCE OLGA VIDUA ARCHIPOVII IMAGINES MARITI ASPECTANS

d.21. m.Iul. a.2016

**Moguntiaco ex urbe.** Verê illustris hic vir numquam factus est – a.2002 demum in quadragesimum diem anniversarium primo nomen eiusdem officialiter commemoratum est: Tamen manifestum est **Basilium Alexandridam Archipovium** officarium militiae marinae sovieticae genus hominum servavisse a bello atomico, quia m.Oct. a.1962 recusavit, ne milites sovietici ex nave iacularentur torpedines nucleares. In relatione documentariâ, quae emittetur e Statione Televisificâ ZDF die Martis septimanâ proximâ futurâ (d.28. m.Iun.) h.21:45, vidua Archipovii recordatur eventûs illius temporis dramaticos.

Autumno anni 1962 in Crisi Cubanâ Civitates Americae Unitae et Unio Sovietica mutuo inter se minatae sunt ruchetis suis atomicis. Viri utriusque terrae – **Iohannes F. Kennedy** Praeses Americae eiusque adversarius **Nikita Chruschtschow**, illo tempore Primus Secretarius *Commissionis Centralis Factionis Communisticae*



(KPdSU) et praepositus gubernationis *Unionis Socialisticarum Rerum Publicarum Sovieticarum* – iam parati erant ad manuclam nuclearem apprimendam.

Haec crisis eo effecta erat, quod ex mense Iulio a.1962 in insulâ Cubâ clam statutae erant ruchetae sovieticae medii spatii. Civitatibus Unitis istae ruchetae quodammodo „*ante ianuam domûs suae*“ statutae visae sunt *minae directae*.<sup>1</sup> Quamvis multi consultores ei suaserunt, ut crisin statim solveret ratione militari, Iohannes Kennedy d.22. m.Oct. a.1962 ultimum dixit, quo ruchetas removerentur et circa insulam Cubam curavit obstruendam (praescrisit, ut fieret quarantaena marina, qualis appellabatur).

Post nonnullos dies summae exspectationis **Nikita Chruschtschow** d.28. m.Oct. a.1962 declaravit Unionem Sovieticam esse paratam e regione Cubanâ recedere eâ condicione, ne Civitates Unitae conarentur abolere systema Cubae communisticum. Praeterea **clam** pactum est, ut **bases ruchetarum Americanorum e Turciâ** removerentur.

Id quod a.1962 **Basilius Archipovius** officarius marinus contra opinionem aliorum statuit summâ cum prudentiâ et fortitudine et animi praesentiâ, a.2002 in **Conferentiâ Havannensi** oratores tantâ laude extulerunt, ut dicerent ab eodem viro orbem terrarum servatum esse a bello atomico, id est a generis hominum destructione universali.

Basilius Archipovius fuit officarius navis cuiusdam submarinae sovieticae torpedinibus nuclearibus instructae, quae d.27. m.Oct. a.1962 a navibus Americanorum destructoriis circumdata est. Utrum emergamus, ut cognoscamus, an utamur ruchetis? Haec fuit quaestio omnium praestantissima. Torpedinem nuclearem iaculari non licuit nisi tribus officiariis assentientibus: Archipovius recusavit.

Autumno a.2002 in Conventu Historicorum *Havannae* in capite Cubae in diem quadragesimum Crisis Cubanae anniversarium ab omnibus participibus officialiter

---

1 *Adnotatiuncula interpretis*: Similiter Russis ex a.2014 minacissima videtur armatio Ucrainae systematica et augescens et foederis Minsciensis fractio fraudulenta, quae factae sunt ab Americanis eorumque vasallis Europaeis, et invitatio Ucrainae, ut cooptetur in NATOnem. Itaque nequaquam invasio Ucrainae d.24. m.Febr. a.2022 a Russis facta „*impetus*“ fuit „*aggressionis non provocatae*“. Etiam Russi nolunt „*ante ianuam domûs suae*“ statui ruchetas alienas. Is qui audeat ingentem nebulam mendacissimae praeconationis politicae propagandae diffindere et veram historiam considerare sine iudiciis praeopinatis, facile intellet nationem omnium totius orbis terrarum imperiosissimam atque bellicosissimam esse *Civitates Americae Unitas*. Nam nulla alia natio tot attentationes, tot seditiones, tot revolutiones adjuvante CIA officio secreto sceleratissimo insidiosissimê in aliis terris contra ius gentium aut ipsa executata est aut subornavit, tot bella aut militibus propriis aut vicariis (*war-by-proxy*, e.g. *bellum Ucrainense*) excitavit, et sibi arrogavit personam custodis mundi gerendam ceteris superiorem. <https://www.youtube.com/watch?v=REpFzRO23so>: Jeffrey Sachs: Die USA täuschen Europa in einen weiteren Krieg. - <https://www.youtube.com/watch?v=mbNvagE7BcM> Jeffrey Sachs: Biden Has DESTROYED Ukraine, More Funding Would Be INSANE. - <https://www.youtube.com/watch?v=6Ntxzz-RvQ>: Dr. Jeffrey Sachs: What MSM WON'T TELL YOU About Ukraine-Russia, Nord Stream. - <https://www.nachdenkenseiten.de/?p=109821> Krieg der USA gegen Europa. -

concessum est quendam militem militiae nauticae Unionis Sovieticae nomine **Archipovium** genus servavisse a bello atomico.

M.Sept. a.2012 **Damian Imöhl et Claas Weinmann** relatores ephemeridis, c.t. „**BILD**“, referunt de officario sovietico audaci. In relatione suâ illo tempore etiam attulerunt verba **Matthiae Uhl** historici rei periti. Qui cooperatur scientificus Instituti Germaniae Historici (DHI) Moscuensi, qui Halae Saxonum et postea in capite Russiae studuerat historiae, politologiae, historiaeque Europae orientalis cognoscendis, relatoribus dixit: „**Archipovius in Crisi Cubanâ personam egit praecipuam. Qui vir avertit Bellum Mundanum Tertium.**“

Cinema documentarium a **Nicolao Green** confectum, c.t. „**Vir, qui mundum servavit**“ in emissione, c.t. „**ZDFinfo**“ d.28. m.Iun. monstrabitur in margine vesperi emissionum diuturni, qui dedicatus est documentis Cubanis. A h.17:15 usque ad h.23:55 hoc die Martis praeterea iterum spectari poterunt omnes octo partes seriei ipsius emissionis „**ZDFinfo**“, c.t. „**Cuba secreta**“.

<https://www.kpbs.org/news/arts-culture/2012/10/19/secrets-dead-man-who-saved-world>

## SECRETA MORTUORUM: VIR QUI SERVAVIT MUNDUM

Scipsit [Jennifer Robinson](#), publicatum est d.19.m.Oct. a.2012 h.9:57, Latinê reddidit Leo Latinus



*Basilus Archipovius* eiusque uxor *Olga Archipovia*. Collectio photographematum praeceptoris brigatae navis B-59 Basilii Archipovii, 'Viri qui servavit mundum', ex archivo privato viduae *Olgae Archipoviae*. *Basilus Alexandrides Archipovius* fuit officarius sovieticus navalis, qui inter Crisin Cubanam missilium praevenit iaculandae torpedini nucleari ideoque **BELLO NUCLEARI**.



***Die Iovis, d.31. m.Iul., a.2014 h.11 p.m. in KPBS statione televisificâ***

Quinquaginta annis antea, mense Octobri a.1962, mundus titubavit in abyssum belli nuclearis lapsurus. D.22. m.Oct. a.1962, indicio photographico conspecto, Praeses **Iohannes F. Kennedy** mundum certiozem fecit Unionem Sovieticam in insulâ Cubâ aedificare bases ruchetarum clandestinas 90 miliaribus a litoribus Floridae remotas.

Proximis 13 diebus mundus spiritum retinuit, cum Unio Sovietica et Civitates Unitae inter se litigarent de ruchetis in Cubâ statutis. Cum politici quaerent conflictûs solutionem, nemo conscius fuit eventuum, qui fiebant in sovieticâ nave submarinâ B-59 in aquis prope lîtus Floridae versante.

In chronicalibus Crisis Ruchetarum Cubanae in quinquagesimum diem anniversarium scriptis commemoravimus, quomodo actionibus cuiusdam viri, in momento temporis totius Belli Frigidi omnium periculosissimo, evitatum est Bellum Nucleare.

Cinema, c.t. „*Vir qui servavit mundum*“, narrat historiam nondum narratam officarii sovietici **Basilii Archipovii**, praeceptoris brigatae navis submarinae B-59, qui cum recusaret, ne iacularetur ruchetam nuclearem, mundum servavit a Bello Mundano Tertio et calamitate nucleari perniciosissimâ.

Per decades annorum historia Archipovii abdita nuperrimê demum patefacta est. Eventûs in hęc cinemate depicti, qui facti sunt per 4 horas d.27. m.Oct. a.1962, cum timores *Crisi Ruchetarum Cubanâ* erupti essent vehementissimi. In hęc cinemate inter se coniunctae sunt scaenae dramaticae in nave submarinâ claustrophobiam excitantes cum relationibus hominum testantium et rei technicae peritorum, ut eventûs submarini terrifici quam optimê demonstrantur.

Quattuor naves sovieticae submarinae missae erant mandatis, quae nemini nôta erant nisi paucissimis tantum officialibus factionis communisticae.

Mandata harum navium fuerunt mysterium, quod non erat patefactum nisi demum cum essent in mari alto. Omni navi submarino iter faciendum erat 7000 miliariorum a navali basi secretissimâ in circulo arctico sitâ per Mare Atlanticum usque dum veniret ad stationem *Mariel* cubanam, ubi permaneret navis sovieticae militiae nauticae *protoporiaca* 90 ferê miliaribus a continenti americanâ remota. Ducibus omnis navis submarinae permissum erat, ut agerent sine mandatis directis Moscuensibus, si putarent sibi periculum imminere. Omnis harum quattuor navium subaquaneorum ferebat ‚telum speciale‘, id est singulam torpedinem nuclearem, cuius vis comparari poterat cum illius bombae in urbem *Hiroshimae* deiectae. At non licuit torpedinem iaculari, nisi nauarchus et officarius politicus inter se consentiebant. Uter horum


habuit clavis dimidiam partem, quae, si cum alterâ parte coniungebatur, mechanismus ignitionis operabatur.

**Ryurik Ketovius**, qui interrogatur in cinemate, nauarchus fuit unius ex quattuor navibus subaquaneis. Ketovius: „*Mihi erat*“ inquit, „*scripto mandatum, ut mihi liceret torpedinem iaculari. Et si iussus fuisset iaculari torpedinem, ego hoc fecissem sine cogitato altero. Primo tempore vitae suae nauarchus navis submarinae habuit telum nucleare et potestate fuit, quâ sibi liceret ruchetam iaculari*“.

Tamen in nave *B-59* necessarii fuerunt tres viri — non duo — qui consentirent. Archipovius autem, cum esset dux totius classis submarinae, potestatem habuit vetandi ruchetae emissionem et fuit unus ex iis, qui in antecessum scirent qualis missio esset evasura. Quinquaginta annis post cinema, c.t. „*Vir qui servavit mundum*“ narrat historiam audaciae Archpovianae et quâ actione singulari impediret destructionem vitae hominum qualem novimus universalem.



**DE STANISLAO PETROVIO**  
**SERVATORE MUNDI**



**Станислав Евграфович Петров**  
STANISLAUS EUGRAPHIDES PETROVIUS

1939-2017

[https://de.wikipedia.org/wiki/Stanislaw\\_Jewgrafowitsch\\_Petrow](https://de.wikipedia.org/wiki/Stanislaw_Jewgrafowitsch_Petrow)

**Stanislaus Eugraphides Petrovius** (russicê Станислав Евграфович Петров, transliteratio scientifica *Stanislav Evgrafovič Petrov*; \* d.7. m.Sept. a.1931 [1] in *Tschernigowka* prope *Wladiwostok*;[2] † d.19. m.Maii a.2017[3][4][5] in *Frjasino* prope *Moscuam*) fuit praefectus militum sovieticae defensionis aeronauticae. D.26. m.Sept. a.1983 Petrovius officarius dux in Centro Mandatorio custodiae satellitum sovieticae impetum Civitatum Americae Unitarum, qui a systemate nuntiata est ruchetis intercontinentalibus fieri in Unionem Sovieticam, cognovit nuntiatum esse *per errorem*. Nuntius summi periculi falsus effectus erat satellite sovietici systematis praemonitorii; qui satelles propter programma mendosum ortum solis et reflexiones in nubibus factas falso intellexerat esse depulsionem ruchetae.

**Petrovius** autem propriâ voluntate atque responsalitate nixus impedivit, ne actionibus praeproperis fieret Bellum Mundanum Tertium, id est **BELLUM ATOMICUM** quod iam timebatur.[6][7]

**Facinus Petrovii salutare**, cum a gubernatione Unionis Sovieticae propter similitates Belli Frigidi haberetur pro secreto militari occultando, nonagenariis demum annis publicê innotuit.[8]

### **Familia et initium cursûs honorum militaris**

Eugraphius eius pater altero bello mundano volavit *aeroplanis pugnatoriis* (*machoplanis*). Eius mater fuit nosocoma. Uxor Petrovii fuit nomine **Raisa**. Fuit ei filius nomine **Demetrius** et filia nomine **Helena**. Raisa a.1997 morbo cancro mortuus est. Petrovius in *Academiâ Technicae Aeronauticae Militari* Chiovensi nomen dedit et diplomate a.1972 accepto cooptatus est in sovieticas *copias defensionis aeronauticae*. Annis septuagenariis ineuntibus Petrovius attributus est ei organizationi, quae custodivit novum systema praemonitorium impetûs ruchetarum ballisticos Natonianos cognoscendi.[9]

### **Recessus atque antecedentia (Bellum Frigidum)**

Si tardissimê, ex a.1947 conflictus Civitatum Unitarum et Unionis Sovieticae tam vehementer exasperatus est, ut appellaretur **Bellum Frigidum**. Simultatibus harum **superpotestatum** effecta sunt systemata foederum **NATO** et **Pactum Varsoviense**. Circa a.1950 incohata est competitio armandi inexaudita. Armis nuclearibus exorta est strategia nuclearis. Copia armorum nuclearium (ruchetae intercontinentales, bomboplana strategica) primo Civitates Unitae superaverunt Unionem Sovieticam, sed eadem usque ad annos sexagenarios exeuntes ruchetis intercontinentalibus terrestribus atque marinis exauctis egestatem compensavit, ut fieret NATONIS et Pacti Varsoviensis paritas nuclearis. Annis septuagenariis phasis facta est **Politicae Detensionis** et **Disceptationum SALTianarum**, tamen non finita est horreorum nuclearium incrementum addititium. Utraque superpotestas conata est condicionem

suam ope novarum technologiaram (e.g. multiplicium capitum displosivorum) confirmare.

Cum tensiones circa a.1980 denuo exasperarentur, utraque superpotestas accumulaverat iam multiplicem quantitatem eius vis nuclearis destructivae, quae necessaria est ad hostem – necnon partem generis hominum reliquam exstinguendas (i.e. **overkill** sive **vis exstinctionis multiplex**). Hoc systema defensionis nuclearis sic instructum est, ut in casu impetûs adversarii primi ultio fiat exstinctione aggressoris totali (**destructione mutuâ assecuratâ**).

Reverâ autem ad bellum atomicum gerendum – cum *publicê* nuntiarentur *contraria* – **n o n** praedisposita est *retaliatio* post *impetum* demum adversarii *primum* (**retaliatio post impetum adversarii primum**) – sed propter systematum mandandi, custodiendi, communicandi vulnerabilitatem ita praedisponebatur, ut iam *solâ praemonitione* ruchetarum et bomboplanorum adversarii advolantium *acceptâ* intra spatium paucarum minutarum excitaretur *impetus contrarius* (**retaliatio post monitionem**).

Conditio autem sine quâ non servari poterat hoc **aequilibrium superpotestatum** fragile, fuit existentia subtilissimi **systematis praemonitorii automatici stationum radaricarum satellitumque**, quo spatium aërium et universale custodirentur.

A.1983 hoc **aequilibrium superpotestatum** etiam fragilius fuit, quia *Ronaldus Reagan* praeses Civitatum Unitarum Unionem Sovieticam appellaverat „*Regnum Mali*“ et quia annuntiatum erat „SDI“, i.e. programma ruchetas arcendi et quia d.1. m.Sept. ab Unionem Sovieticâ destructum erat aeroplanum Coreae epibaticum et quia ab Americanis praeparabatur magnum exercitium militare, c.t. *Able Archer 83* mense Novembri faciendum.

### Casus d.26. m.Sept. a.1983 factus

D.26. m.Sept. a.1983 **Succenturio Colonellus Stanislaw Petrow** fuit officarius officio fungens in **suffugio cataphracto<sup>1</sup> Serpuchoviano 15** (circiter 50 chiliometris ab urbe Moscuâ versus meridiem). Eius munus erat spatium aërium custodire computatro atque satellite usus. Secundum strategiam, si impetus nuclearis factus erat in Unionem Sovieticam, oportuit omnibus rationibus sine morâ ictum facere nuclearem contrarium. Brevi ante mediam noctem computatrum nuntiavit *Montanâ* in civitate Americae foederali propulsatam esse ruchetam intercontinentalem. Ex ruchetae hostilis profectione ducibus Unionis Sovieticae *restabat spatium 28 minutarum*, quo – irrevocabiliter – statuerent de impetu contrario. *Petrovio autem restitit quadrans horae ad virum sibi praepositum certiore faciendum*.

---

<sup>1</sup> **suffugium cataphractum** – theod. *Bunker*; angl. *bunker, air-raid shelter*.





Stanislaus Eugraphides Petrovius a.1983

Quia systema indicavit depulsionem rucketae ab unâ tantum basi esse factam, Petrovius putavit n o n esse verisimile factum esse *impetum primum*. Praeterea Petrovius scivit compluries in dubium vocatam esse fidelitatem systematis satellitum (Kosmos 1382)[6]. In photographematis satelliticiis basis Americanorum militaris Petrovius nullam agnovit rucketam. Sed quia basis illo tempore posita erat in ipso limite diei et noctis, hae imagines satelliticiae parum erant fideles. Petrovius autem ducibus militaribus nuntiavit computatro factam esse monitionem falsam. [10] Brevi post systema computatralis nuntiavit *rucketam depulsam esse alteram, tertiam, quartam necnon quintam*. Sed quia systema satellitum postea non alias nuntiavit rucketas, Petrovius perrexit monitionem computatri habere pro errore, quia putavit futurum fuisse, ut verus impetus atomicus fieret rucketis multo pluribus.[11] At nulla alia data Petrovio praesto fuerunt, quibus spatio temporis quod sibi restiterat, existimationem suam probare posset. Radar enim sovieticum terrestre non potuit mittere data additicia, cum per tantam distantiam non pertingeret. Post 17 demum minutas ex datis radarum terrestrium patefactum est reverâ nullas rucketas advolare. [12]

Vix fieri potest, ut animo confingamus **Stanislaus Petrovius** intra istud spatium temporis quantâ fuerit exspectatione, quantâ sollicitudine, quantâ nervorum intentione: Certê pauci homines sunt, qui in tantis angustiis servant animi praesentiam et sanitatem. *Unâ ex parte*, si data satellitum mendosa (i.e. monitionem falsam) transmisisset, futurum fuisse, ut impetus atomicus primus fieret sovieticus atomicus. *Ex alterâ parte* si verus impetus Americanorum facta esset, futurum fuisse, ut maturrimê aliquot decuriae capitem displosivorum nuclearium in territorium



sovieticum deciderent et, cum Petrovius monitionem satelliticam explicavisset esse nuntium falsum, possibilitates agendi sovieticae graviter deminuerentur. Accessit quod Unio Sovietica illo tempore *partim* demum construxerat *facultatem impetûs secundi decentralem, quae adhiberetur ad strategemata decapitationis arcenda*.<sup>1</sup>

Postridie mâne patefactum est sovieticum systema praemonitionis maturae satellitibus nixum per errorem pro depulsione ruchetarum habuisse reflexiones solares, quae in nubibus factae essent *Montanâ* in Civitate Americanâ prope basin militiae aeronauticae *Malmstromianam*, ubi etiam positae erant ruchetae intercontinentales. Quamquam mandatum impetûs contrarii faciendi definitivum denique dare debuissent summi duces sovietici militares et politici, *Petrovius* reactionem hierarchiae catenatam bellum nucleare effecturam recto tempore interruperat.

### **Cursus vitae reliquus**

Petrovius post noctem illam fatalem a praepositis suis neque laudatus est neque mercedem accepit – sed etiam non punitus est. Nomisma honorarium, quod praepositi ei primo attribuere voluerant, postea non attribuerunt, quia causâ vulnerabilitatis systematis cognitâ maluerunt rem secretam retinere, ne infamiam sibi contraherent. [13] Attamen Petrovius aliorum meritorum causâ, quae spectaverunt ad systema computatrale constructum, accepit nomisma et denique promotus est ad maiorem dignitatis gradum. Anno sequenti Petrovius causis familiae suae (ad *Raisam* uxorem

<sup>1</sup> *facultās impetūs secundi dēcentrālis, quae adhibētur ad stratēgēmata dēcapitātiōnis arcenda*  
i.e. theod. *dezentral organisierte Zweitschlagfähigkeit als Gegenmaßnahme gegen Enthauptungsstrategien*



suam morbo cancro laborantem suosque liberos curandos) militiam reliquit, sed postea vir civilis revertit ad sedem suam priorem. Petrovius mortuus est d.19. m.Maii a.2017 aetate 77 annorum in oppido [Frjasino](#) prope Moscuam sito, ubi ultimis vitae suae decenniis habitaverat.

### Honores et memoria

A.1998 **Carolus Schumacher Superhusanus** [\[14\]](#) **Petrovium** in Russiâ visitavit, ut gratias ageret pro eius actione salutari, eumque invitavit, ut veniret in Germaniam.

A.1999 **Petrovius** visit **Superhusam** et interrogatus est in colloquiis radiophonicis atque televisificis et disputavit cum discipulis Superhusanis.

**Associatio Civium Mundi**, cuius sedes est **Franciscopoli** Americanorum, **Petrovium** exornavit et d.21. m.Maii a.2004 Moscuae – ubi ei unâ cum nomismate tradita sunt 1000 dolaria – et d.19. m. Ian. a.2006 in sede **Nationum Unitarum (UNO)** Neo-Eboracensi **Petrovio** attributum est **Praemium Civium Mundi (World Citizen Award)**.[\[13\]](#)



**Petrovius (a sinistris) accipit  
Praemium Dresdense  
a.2013**

D.24. m.Febr. a.2012 **Stanislaus Petrovius** ornatus est **Praemio Mediorum Germanico**.[\[15\]](#) D.17. m.Febr. a.2013 ei in **Dresdensi Domo Melodramatum Semperianâ** attributum est **Praemium Dresdense a.2013**, quod dotatum est 25.000 euronum.[\[16\]](#)[\[17\]](#)

M.Iun. ineunte a.2018 cives ab urbe **Bonnâ** petiverunt, ut cuidam plateae Bonnensi imponerentur nomina **Stanislai Petrovii** et **Basilii Archipovii**, qui ambo impedivissent, ne fieret bellum atomicum[\[18\]](#). At haec petitio est recusata [\[19\]](#)

### Monumentum

A.2019 altero die obitûs Petroviani anniversario in oppido **Oberhausen** in memoriam **Stanislai Eugraphidis Petrovii** positae sunt **tabulae memoriales**[\[20\]](#), quibus inscripta sunt verba haec quae sequuntur:

Zur Erinnerung an

# STANISLAW PETROW

\* 07.09.1939 † 19.05.2017

**- THE MAN WHO SAVED THE WORLD -**

Am 26.09.1983 rettete Stanislaw Petrow die Welt vor dem dritten Weltkrieg.

Entgegen aller Computeranzeigen und entgegen des vorgeschriebenen Protokolls, stuft er die Meldung eines atomaren Angriffs der USA auf die damalige Sowjetunion als Fehlalarm ein.

Wäre er den Computermeldungen gefolgt, wäre der sofortige atomare Gegenschlag erfolgt und damit der Tod von Millionen Menschen in den USA, in Europa und Russland die Folge gewesen.

Für seine Verdienste wurde Stanislaw Petrow im Uno-Gebäude in New York mit einem Award ausgezeichnet; für Menschen, die sich um die Menschheit verdient gemacht haben. In Deutschland erhielt er unter anderem 2013 den Dresdner Friedenspreis. (2010 wurde Michail Gorbatschow mit diesem Preis geehrt).

Im Jahre 2012 erhielt er den deutschen Medienpreis. Die Laudatio wurde vom ehemaligen Bundespräsidenten Roman Herzog gehalten.

Stanislaw Petrow besuchte 1999 Oberhausen und hat an dieser Stelle im Park ein TV-Interview über die Geschehnisse der Nacht vom 26.09.1983 gegeben.

Als sein Tod bekannt wurde, haben in 150 Staaten weltweit die Medien darüber berichtet.

Bilder seines Besuches in Oberhausen und Infos zu seiner Bedeutung, sind zu finden unter [www.karl-schumacher-privat.de](http://www.karl-schumacher-privat.de)



- 1 Stanislaw Petrow ließ es sich nicht nehmen, den Anstoß eines Fußballspiels einer Oberhausener und Bottroper Jugendmannschaft vorzunehmen.
- 2 Stanislaw Petrow 1999 hat hier auf dem Weg dieses Parkes ein TV-Interview gegeben.
- 3 Stanislaw Petrow auf dem Gasometer in Oberhausen.
- 4 Stanislaw Petrow zu Besuch des Russischkurses am Sophie-Scholl-Gymnasiums in Sterkrade. Der Schulleiter Herr Dr. Bernd Laroche und die Kunstlerin Frau Siegrid Jocks hatten ihn eingeladen.

**In memoriam**

## STANISLAW PETROVII

\*d.07. m.Sept. a.1939 †d.19. m.Maii a.2017

**- VIR QUI SERVAVIT MUNDUM -**

D.26. m.Sept. a.1983 **Stanislaus Petrovius** mundum servavit a Bello Mundano Tertio. Adversus omnia indicia computatralia et adversus protocollum praescriptum îdem vir nuntium impetûs atomici Civitatum Unitarum in Unionem Sovieticam facti habuit pro monitione errore factâ. Si nuntios computatri secutus esset, statim factus esset impetus contrarius, quo aliquot miliones hominum in Civitatibus Unitis et Europâ et Russiâ interfecti essent. - Stanislaus Petrovius pro meritis suis in aedificio Nationum Unitarum Neo-Eboracensi praemio est honestatus, quod attribuitur hominibus, qui bene meriti sunt de genere hominum. In Germaniâ Petrovius cum cetera tum praecipuê accepit a.2013 Praemium Pacis Dresdense (quo a.2010 Michael Gorbatsovius erat ornatus). - Anno 2012 îdem vir accepit Praemium Mediorum Germanicum. Laudatio habita est a Romano Herzog, qui illo tempore fuit Praeses foederalis. - Stanislaus Petrovius a.1999 visit Superhusam et hîc loco in viridario respondit in colloquio televisifico de rebus nocte d.26. m.Sept. a.1983 factis interrogatus. - Cum mors Petrovii innotuisset, diurnarii in 150 rebus publicis orbis terrarum eandem nuntiaverunt.


Imagines visitationis Petrovii Superhusensis et verba de eiusdem meritis facta inveniuntur in situ interretiali qui sequitur: [www.karl-schumacher-privat.de](http://www.karl-schumacher-privat.de)

„Si nuntios computatri secutus esset, statim factus esset impetus contrarius, quo aliquot miliones hominum in Civitatibus Unitis et Europâ et Russiâ interfecti essent.“<sup>[20]</sup>

Hoc monumentum est primum omnium, quae umquam in memoriam Petrovii sunt posita. Cum tabulae revelarentur, praesentes fuerunt Petrovii filia filiusque.


### **Cinema c.t. „The Man Who Saved the World“**

*Peter Anthony Danus* scaenothetes cinematum per spatium decem annorum comitatus est *Stanislaum Petrovium* ad cinema conficiendum a.2014 editum documentarium et fictionale (scaenisque retrospectivis instructum), c.t. **Vir, qui servavit mundum** (titulus originalis: **The Man Who Saved the World**).<sup>[21][22]</sup> Hoc cinema postea acriter vituperatum est. Eo quod scaenothetes depinxisset Petrovium „virum morosum, alcoholi obnoxium, neglectum, complexu materno affectum“, eundem „diffamavisse“. Multas scaenas specie tantum esse authenticas, sed ab omni homine cinematographiae perito facile cognosci fraudulenter mutatas.<sup>[23]</sup>



**INGEBORG JACOBS: Stanislaus Petrovius – vir qui impedit, ne fieret bellum atomicum.**  
*Quis nos servabit vice proximâ? Addita est laudatio Nicolai Kleber. Westend Verlag GmbH (a.2015)*

»*Non sum heros, nil feci nisi faciendum.*« Stanislavius Petrovius d.26. m.Sept. a.1983: horâ zericâ cum quadrante systema computatralia nuntiat depulsionem verisimillimam ruchetae americanae intercontinentalis. Stanislaus Petrovius Succenturio Colonellus officarius responsalis existimatione suâ diiudicat quaestionem impetûs atomici contrarii – quo factus est **vir qui mundum servavit**. 90 chiliometris ab urbe Moscuae versus meridiem **Stanislaus Petrovius Succenturio Colonellus** munus suscipit moderatoris Centri Mandaticii custodiae satellitum sovieticae. Videtur incipere dies operandi solitus et cottidianus. At horâ zericâ cum quadrante coram Stanislao Petrovio **scaena** exoritur **infernalis**: Minutis proximis computatrum quater nuntiat **depulsionem ruchetae Americanorum intercontinentalis**. Et quater Petrovius immanet et perseverat in existimatione suâ, quâ putet reverâ non fieri impetum Americanorum atomicum in Unionem Sovieticam. Rucheta americana spatium Unionis Sovieticae aerium pertingit intra spatium 20 vel maximê 25 minutarum. Tempus praeterit et accidit – nihil. Feliciter accidit, ut generi hominum parceretur eo quod gradus ille fatalis non factus est, quo itum esset in Bellum Mundi Tertium, id est Bellum Atomicum, quod factum iri Motus Pacificus in Re Publicâ Germaniae Foederali ex annis praemonuerat. **Ingeborga Jacobs** nobis narrat historiam incredibilem **Stanislai Petrovii** tempore, quo immineat **novum Bellum Frigidum**.



## Cinema documentorum russicum c.t. *Petrovius servator mundi* „Петров, спаситель мира“

cfr <https://www.youtube.com/watch?v=ZxSHZP2M7kE> Как советский офицер Станислав Петров спас мир от ядерной войны? --- <https://www.youtube.com/watch?v=rltr5GrjHJs> Как советский подполковник предотвратил ядерную войну / Редакция

D.8. m.Dec. a.2022 *Alexius Piwowarow* diurnarius canalis nuntiorum russicus independens, qui appellatur „Redakzija“ („Редакция“) – in planiformâ Youtubianâ publicavit cinema documentarium, c.t. *Petrovius servator mundi* („Петров, спаситель мира“)[24]. (Quod cinema russicum interim est subtulis anglicis instructum.) Piwowarovichus hōc cinemate, quod est multiplicitate perspectivaru[m] insigne, citra omnem rerum stupendissimarum cupiditatem studet obiectivitati et rehabilitationi Petrovii, idque ipsâ in eius patriâ, diu expectatae assequendis. Scaenothetes Petrovii vitam factaque investigans non solum interrogavit complures diurnarios hominesque rerum militarium peritos, sed etiam *Demetrium filium Petrovii* necnon *Petrum Anthony* scaenothetam cinematismatis, c.t. „*The man who saved the world*“. Danus autem scaenothetes rettulit de laboribus cinematographicis unâ cum Petrovio exanclatis, qui decem annos duraverant, et patefecit pactum esse cum Petrovio honorarium trium milium dolariorum pro eius cooperatione. Praeterea Petrovium obligatum esse, usque ad d.30. m.Ian. a.2007 ne quid aliis diurnariis scaenothetisve panderet de illâ nocte diei 26. m.Sept. a.1983.

Cinemate, c.t. *Petrovius servator mundi* intra paucas septimanas effecit plus 2,5 evocationes. Septem milia commentatorum huius cinematis – maximam partem Russi – panderunt se unâ ex parte facta Petrovii eximiê laudare, alterâ ex parte se non intellegere aut se pudore affectos esse, quod haec historia in terris occidentalibus decenter respecta esset, sed in patriâ Petrovii russicâ usque id temporis magnâ ex parte esset neglecta.



## Dies anniversarius tricesimus quintus

D.26. m.Sept. a.2018 *Maximilianus Tegmark* Professor Instituti Technologiae Massachusetensis (MIT) *Petrovium* honestavit in caerimoniâ in *Neo-Eboracensi Museo Matheseos* factâ *Praemio Temporis Vitae Futuri*, quod 50.000 dolariorum



dotavit **Institutum Temporis Vitae Futuri**. Eâdem in caerimoniâ **Ban Ki-Moon Secretarius quondam Nationum Unitarum Generalis** fecit ferê haec verba:

*„Difficile est animo fingere rem, quâ genus hominum etiam horribilius exstirpetur quam bello atomico universali inter Russiam et Civitates Unitas facto. Sed d.26. m.Sept. a.1983 non multum afruit, quin tale bellum excitaretur, nisi **Stanislaus Eugraphides Petrovius** tantâ cum sapientiâ istud impedivisset. Hac de causâ îdem vir dignus est, cui gratias ineffabiles agat genus hominum. Statuamus, ut iudicii audacis Stanislai Petrovii memores unâ studeamus talem mundum efficere, ut homines sint a timore armorum atomicorum liberi.“*

Praemium acceptum est ab **Helenâ Petrovii** filiâ. At **Demetrius Petrovii** filius non iam tempore volare potuit Neo-Eboracum, quia in legatione Americanâ oblatio syngraphi ratihibitionis erat retardata. Itaque **Professor Tegmark** praemium offerens: *„Eo quod“* inquit *„vir non accipit syngraphum, ut visat eam urbem, quam pater eius servavit a destructione nucleari, symbolicê patefit relationes americano-russicas tam frigidas factas esse, ut augeatur periculum belli atomici negligentîa excitati.“*<sup>[25]</sup>

In hunc diem anniversarium statio televisifica WDR emissionem fecit de **Stanislao Petrovio**.<sup>[26]</sup>

### Cultura popularis

- Grex musicus **Stoner-Rock- Beehoover** Petrovio dedicavit cantilenam.<sup>[27]</sup>
- A.2009 grex theatricus **Rimini Protokoll** inscaenavit fabulam documentariam **Tiro magicus** („*Der Zauberlehrling*“), in qua Petrovius inducitur historiam sui describens. (U. A. d.22. m.Maii a.2009 in *Theatro Central*, Dusseldorpiensi<sup>[28]</sup>
- A.2011 grex germanicus musicae electronicae [ramp] album suum, c.t. *return Stanislav Petrow* (in libello per errorem scriptum est „*Vladimir*“).<sup>[29]</sup>
- A.2019 grex musicae puncroccianae, cui nomen est **Krachmakers**, Stanislao Petrovio cantilenam theodiscam.<sup>[30]</sup> <https://www.youtube.com/watch?v=o6J1DFgQUd0>
- M.Ian. a.2021 **Roger Waters**, bassista et cantor quidam gregis **Pink Floyd**, cantilenam publicavit, c.t. *The Gunner's Dream*, in quâ tractavit merita **Petrovii**.



## Loci testes

- 1) Ingeborg Jacobs: *Stanislaw Petrow: Der Mann, der den Atomkrieg verhinderte. Wer rettet uns das nächste Mal?* Ffm 2015: 49.
- 2) Ingeborg Jacobs: *Stanislaw Petrow: Der Mann, der den Atomkrieg verhinderte. Wer rettet uns das nächste Mal?* Ffm 2015: 48.
- 3) [Todesanzeige](#). In: WAZ Oberhausen. 9.September 2017, abgerufen am 10.September 2017.
- 4) Karl Schumacher: [Unsere Begegnung mit Stanislaw Petrow, der Mann, der die Welt rettete!](#) 7.September 2017, abgerufen am 8.April 2021.
- 5) Roland Oliphant: [Stanislaw Petrow, the 'man who saved the world' dies at 77](#). In: [telegraph.co.uk](#). 18.September 2017, abgerufen am 18.September 2017 (englisch).
- 6) Benjamin Bidder: [Der Mann, der den Dritten Weltkrieg verhinderte](#), in: [einestages](#), 21. April 2010.
- 7) Marina Solnzewa: [Der Mann, der den Atomkrieg verhinderte](#). In: [dekoder \(dekoder.org\)](#). 18. September 2017, abgerufen am 2.Mai 2022.
- 8) Laut [Interview mit Petrow, FAZ.NET](#) (18. Februar 2013, eingesehen am 21. Februar 2013), 1993 durch einen Artikel in der Prawda; ebenso das Interview in [welt.de](#) (29. Februar 2012, eingesehen am 21. Februar 2013); laut [Spiegel Online](#) (21. April 2010, eingesehen am 21. Februar 2013) 1998 durch ein Interview mit Generaloberst Votintsev.
- 9) Sewell Chan, Sophia Kishkovsky, Oleg Matsnev: [Stanislaw Petrow, 77: Soviet Who Helped Avert a Nuclear War \(Memento des Originals vom 19.September 2017 im Internet Archive\)](#) In: [The New York Times](#), 19.September 2017, S.B14. Abgerufen am 4.September 2021
- 10) Heike Vowinkel: [„Um 0.15 Uhr ging die Hölle los“](#) Interview mit Petrow in Welt Online. 27. Februar 2012, abgerufen am 28. Februar 2012.
- 11) Friedrich Schmidt: *Der Mann, der die Welt rettete. Zum Tod von Stanislaw Petrow, der als sowjetischer Oberstleutnant einst einen Atomkrieg verhinderte*. In: Frankfurter Allgemeine Zeitung vom 20. September 2017, S.7.
- 12) Friedrich Schmidt: [Der Mann, der die Welt rettete](#). In: [FAZ.net](#). 19.September 2017, abgerufen am 13.Oktober 2018.
- 13) [Petrows Entscheidung. Die Zeit](#), 18.September 2008, abgerufen am 4.Oktober 2011.
- 14) [Der Bestatter, der den Retter der Welt ausgrub](#) bei rp-online.de, abgerufen am 14. Juli 2019.
- 15) [Deutscher Medienpreis 2011 für Dr. Sakena Yacoobi, Dr. Mitri Raheb, Stanislaw Petrow und Dr. Denis Mukwege](#). Deutscher Medienpreis, archiviert vom [Original](#) (nicht mehr online verfügbar) am 30.Januar 2012; abgerufen am 24.Februar 2012.
- 16) Porträt von Stanislaw Petrow [online](#) auf *Dresdner Friedenspreis (Friends of Dresden Deutschland e.V.)*. Abgerufen am 23. April 2019.
- 17) [„Ich wollte nicht schuld sein am Dritten Weltkrieg.“](#) Auf [dradio.de](#), 17. Februar 2013. Abgerufen am 16. März 2013.
- 18) [Gedenken an zwei Weltenretter](#), Neues Deutschland, 31. August 2018.
- 19) [Archipov-Petrov-Platz für Bonn abgelehnt](#), Neues Deutschland, 7. September 2018.
- 20) Kai Spanke: [Ein Denkmal für den Mann, der die Welt rettete](#). In: *FAZ*. 20.Mai 2019, abgerufen am 21.Mai 2019.
- 21) [The man who saved the world / Der Mann, der die Welt rettete](#), 105 Min. (imdb 2277106).
- 22) [The Man Who Saved the World](#) auf [Vimeo](#).
- 23) Leo Ensel: [Der Mann, der die Welt vor einem Atomkrieg rette \(Teil 2\)](#) 5. Juni 2022, abgerufen am 31. Juli 2022.
- 24) [Петров, спаситель мира](#) bei Редакция, abgerufen am 30. März 2023.
- 25) [\\$50,000 Award to Stanislav Petrow for helping avert WWII – but US denies visa](#) (englisch).
- 26) [Stichtag - 26. September 1983: Stanislaw Petrow verhindert Atomkrieg](#). 26.September 2018, abgerufen am 8.April 2021.
- 27) [Recordings. Beehoover](#), abgerufen am 16.November 2011 („Stanislav Petrow“ auf „Heavy zooo“ (2008)).
- 28) [Der Zauberlehrling - Rimini Protokoll](#). Abgerufen am 16.Juli 2017.
- 29) Widmung “this album is dedicated to vladimir petrov.” bei [Discogs](#).
- 30) [discogs.com: Krachmakers](#) (englisch).



Die **Rettungstat**  
von **Stanislav Petrov**  
vor 40 Jahren



 die**Basis**

**FACINUS PETROVII SALUTARE**

**ANTE 40 ANNOS FACTUM**



**PETROVIUS OBIIT:**  
**QUIS NOS SERVABIT VICE PROXIMÂ?**  
**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM**  
**QUA AGITUR**  
**DE STANISLAO PETROVIO**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

# ECHUS VOCES & EPISTULAE

**CHRISTIANUS LAES**  
**PRAESES ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (ALF)**



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES**  
**ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS**

d.20. m.Mart. a.2024 h.15:07

**Christianus Laes praeses omnibus sodalibus optimis carissimisque!**

Sunt certe, sodales optimi, munera sodalibus suscipienda, quae tamen vobis potius munuscula ac gaudia esse et fore spero.

De conventiculis Romae habitis nunc praesertim loquor. Ecce [programma fere completum](#). Multi sodales, etiam illi qui sunt designati, nomen dederunt ut verba palam facerent, de qua re summopere gaudemus. Cum dies ipsi per decem fere menses iam innotuerint, spes est fovenda magnam etiam copiam auditorum adfore! Ceterum, nonnulla etiam patent magistris omnibusque quibus lingua Latina est cordi: annuntiate ergo, quaeso, eventum omnibus quibus possit arridere.

De aliis munusculis gaudiisque narrabo? Die **27 mensis Aprilis** nova habebitur sessio Zoomiana, in qua loquetur praeses emeritus noster, Theodericus Sacré, optimus procul dubio omnium.

De tertio munere, de stipendio, mox scribet arcaria nostra Francisca Deraedt.

**Vos interea pancratice valeatis atque pulchris diebus Paschalibus fruamini!**

**Prof. Dr. Christian Laes**

Departement Geschiedenis/ Department of History

**Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp**

Stadscampus· S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·

**B 2000 Antwerpen**

d.26. m.Mart. a.2024 h.00:05

**Christianus Laes praeses omnibus sodalibus carissimis salutem plurimam iterum!**

Licetne adiungere ultimo meo nuntio 'Paschali' adhortationem hanc?

Nobis in animo erat et est ut duo volumina conventus nostri ubique in orbe terrarum distribuere. Qua de causa iterum vos invito ut bibliothecam vestram academicam adeatis, nexu utentes [hoc](#). Sic fieri potest ut quaeque bibliotheca suum ipsius exemplar commendare possit. Nonne pulchrum propositum? **Facite, quaeso, pro viribus vestris! Prof. Dr. Christian Laes**

d.29. m.Febr. a.2024 h.0:16

**NICOLAUS CHRISTIANO LAES PRAESIDI ALF SAL.PL.DIC. SV.B.E.E.V.**  
Care Christiane, iamne accepisti Epistolam Leoninam 287? Vale semper pancraticê.  
**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Febr. a.2024 h.06:07

**CHRISTIANUS NICOLAO S.**

Certe, ut semper cum gaudio! Ac die Saturni inter nos videbimus, etiam maiore cum gaudio! Valeas valeasque **Christianus tuus**

d.20. m.Mart. a.2024 h.20:55

**NICOLAUS CHRISTIANO PRAESIDI ALF SAL.PL.**

Gratâ mente recordor, care Christiane, quod acroasi meae tam benevolê moderatus es. Rogatus sum a Professore *Solopow* (alias Scatebrano) eiusque adiutore *Davydow*, ut mitterem iis receptionem cinematographicam acroaseos meae, qualem ipse non feceram. Itaque duobus diebus post rogavi *Nicolaum deMico*, ut mitteret nobis talem receptionem (v. epistolium infra scriptum). Doleo, quod usque nunc optimus Secretarius Academiae, qui mecum praenomen communicat, nondum mihi respondit, nescio quâ de causâ. Num non accepit epistolium meum? An ipsa receptio cinematographica est laboriosior an pretiosior quam ut mitti posset a *Nicolao deMico*? Hoc mihi scribas, quaeso, quia nolo spem decipere *Alexii Scatebrani* viri de lexicographiâ Latinâ in Rutheniâ colendâ optimâ meriti.

Haec hactenus, optime Christiane Praeses, mox, si permiseris, multo plura. Basilicê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.21. m.Mart. a.2024 h.19:18

**CHRISTIANUS NICOLAO S.**

Christianus Nicolao suo strenuissimo atque carissimo! Nullus dubito quin statim tibi respondeat optimus ab epistulis noster! Tu interea pancratice valeas!

**Prof. Dr. Christian Laes**



**NICOLAUS DE MICO SECRETARIUS ALF**

d.2. m.Mart. a.2024 h.13:17

Illustrissimi Sodales, appendicem materiarum ad acroasin hodiernam spectantium mitto vobis. **Curate ut optime valeatis Nico De Mico**

d.4. m.Mart.2024

**NICOLAUS NICOLAO SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Nicolae, pro laboribus technicis tam peritê exanclatis. Cum Professor *Alexej Solopow* Moscuensis ("Scatebranus") eiusque discipulus me rogaverunt, accipiant receptionem meae acroaseos cinematographicam (qualem ego "scopocinematium" appello), et ego ipse gaudeo tali receptione, rogo te omni quâ par est observantiâ, ut nobis tribus mittas acroasin daedalê a te receptam. Gratias tibi ago in antecessum ineffabilem. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.23 m.Mart. a.2024 h.18:25

**NICOLAUS NICOLAO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Summas gratias, mi care Nicolae de Mico, pro receptione acroaseos meae cinematographica, quae est optimê audibilis atque aspectabilis. Misistine eandem etiam Professori *Solopow* (qui alias Scatebranus) eiusque cooperatori *Tychoni Davidoff*? Vale pancreaticê, mi care Daedale interretialis, et perge mihi favere. Utinam degas pulchros dies septimanae finales. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Mart. a.2024 h.23:06

**Nicolaus Nicolao suo s.p.d.**

Potesne mihi tradere eorum cursus? Aliter nescio quo cinema mittam. Misi autem Theoderico Sacré, qui id valde amavit. **Cura ut optime valeas. Nico De Mico**

d.30. m.Mart.a.2024 h.15:35

**NICOLAUS NICOLAO S.**

Inscriptio cursualis Professoris *Alexej Solopow* (i.e. Alexius SCATEBRANUS) est haec quae sequitur: . . . *Tycho Davydow* habet hanc inscriptionem: . . . Pro missione cinematis Russensi gratias in antecessum. - IN FESTUM PASCHALE TIBI TUISQUE OPTIMA QUAE EXOPTO: UTINAM SINT TIBI DIES FESTI HILARES ATQUE RECREABILES. VALE PANCRATICÊ ET PERGE MIHI FAVERE. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS.**

**P.S.****NICOLAUS NICOLAO S.**

Care Nicolae, permittas, quaeso, ut alteram rogatiunculam adiungam: Rogo te ut receptionem tuam acroaseos meae mittas etiam ALEXIO SLEDNIKOV bono amico qui habet hanc inscriptionem cursualem: . . . GRATIAS PLURIMAS IN

ANTECESSUM. SEMPER VALE BASILICÊ ET FESTUM PASCHALE CELEBRA  
PANCRATICÊ. **MEDULLITUS NICOLAUS LEO LATINUS.**

**FRANCISCA DERAEDT ARCARIA ALF & EDITRIX MELISSAE**

d.26. m.Mart. a.2024 h.23:14

**Francisca Deraedt arcaria spectatissimis sodalibus ordinariis et bene meritis  
s.p.d.**

In annum 2024 stipendium singulis solvendum iterum erit 50 eur. Quae pecunia mittenda est ad Academiae computum: Banca Nuovo Credem, Via Reno 50, 00198 Roma IBAN: IT05 0030 3203 2100 1000 0003679 (in quo, quinto loco, legatur littera O, non numerus 0) BIC: BACRIT21302

**Gratias vobis agimus in antecessum. Curate ut valeatis.**

**GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (ALF)**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:57

**NICOLAUS GAIUS SUO OPTIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Care Gaii, iam ex longo tempore nihil a te accepi scriptum. Rectene vales? Interim qualis est condicio tua familiaris? Utinam bene valeas! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittenda.

Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Care amice, libentissimè recordor tua consilia, tuasque suasiones multiplices in rebus lexicographicis mihi benignè oblati. Utinam occasio nobis sit colloquia iucundissima continuandi. Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te Franciscamque vacaturos esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê. **Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Febr. a.2024 h.10:25

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Academiae secretarius nos monuit de acroasi tua proximo Saturni die habenda, quam libenter auscultabimus. Argumentum est attractivum, sed infeliciter vix sunt hodie sodales, qui de verbis novandis curent; scopus Caelestis Eichenseer, qui vitam reddere volebat linguae Latinae, plerisque hodiernis videtur obsoletus.

Accepi et evolvi Leonem Latinum 287, nondum tamen perlegi; iam video me cum nonnullis opinionibus non consentire; tempus invenire conabor ad opinionem meam patefaciendam. **Cura ut valeas.**

d.29. m.Febr. a.2024 h.13:43

### **NICOLAUS GAIUS SUO OPTIMO S.**

Gratias plurimas, care Gai, pro responso prompto. Gaudeo te participem fore acroaseos meae. Rectissimè dicis lexicographiam verborumque confictionem Latinam his diebus vix tractari etiam ab ipsis Latinophilis. Certè in foris interretialibus haud pauci delectantur novis verbis ex tempore fingendis, sed hanc rem parum graviter, parum peritè tractant. Vicipaedia interdicat auctoribus symbolarum, ne confingant nova verba - sed quomodo exprimant sescentas notiones recentiores nondum Latinè denominatas nisi molestis circuitationibus verborum parum accuratis? Nonnulli Vicipaediani in additamentis symbolarum (quae vix aliquis perlegit) habent disputationes de variis neologismis - sed vix unquam sat systematicè operantur. Ut verum confitear - nonnulla nomina geographica utilia apud eos invèni. Generaliter dicam qualitatem symbolarum Vicipaediae esse vehementer variam.

Quae cum ita sint, sodalis carissime, nos discipuli Dryantis sive Querculacustris magni Latinitatis Vivae lexicographi quoad logopoesin neolatinam quadamtenus similes videmur dinosauris illis. Meteoritis transhumanismi abundantibus humanistae non possunt quin petant refugia bonarum litterarum. Quod monet me verborum Propertii: IN MAGNIS VOLUISSE SAT EST. Tamen fortiter pugnemus et Latium nostrum redivivum defendamus. His temporibus iniquis et inquietis plurimum iuvat et delectat nos vinculo amicitiae coniunctos unâ studere rebus humanissimis cognoscendis et communicandis. Haec hactenus, mox, si volueris, certè libenter plura. Fac ut perendie inter nos revideamus. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.03. m.Mart. a.2024 h.09:37

### **Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Te laudo quod in acroasi tua omnia verba optime pronuntiasti; idem dicendum non est de omnibus oratoribus. De verbis novandis tantum curant ei qui simpliciter et dilucide symbolas de rebus omnis aevi conscribunt pro lectoribus, quorum linguae notitia non est perfecta; hoc faciunt ut novos lectores ad Latinitatem vivam alliciant.

Ante nonnullos dies Bruxellis habuimus sessionem Circuli nostri Latini; ibi ad disputandum proposui nonnulla adagia, inter quae "Veritatis simplex oratio"; hoc adagium Erasmanum mihi bene convenit. - Mox tibi scriptum mittam, quo opinionem meam patefaciam de nonnullis symbolis Leonis Latini 287. **Cura ut valeas.**

d.04. m.Mart. a.2024 h.00:03

### **Nicolaus Gaius suo optimo sal.pl.**

Elato animo laudem tuam accipio, mi care Gai; libentissimè vobis heri rettuli de verbis novandis, cum bene sciam quantopere hoc thema tibi cordi sit et quantum tu ipse contribueris ad lexicographiam Latinitatis fovendam. - Decet te adagium Erasmi electum; semper praetulisti verborum veritatem et perspicuitatem fuco inani et vaniloquentiae. Ceterum laeta cum suspensione animi exspecto opinionem tuam de



symbolis Leoninis offerendam. Pro certo habeo Epistulam Leoninam epistulis tuis mirum in modum ditificari. Haec hactenus, mox libenter plura. Saluta a me Franciscam, quam heri etiam laetê consexi. Utinam convivatis pacificê atque hilariter. Valet basilicê. **Medullitus vos salutat Nicolaus.**

d.18. m.Mart. a.2024 h.15:41

**Gaius Nicolao optimo s.p.d.**

Promissam symbolam tibi subiungo. **Cura ut optime valeas.**

d.20. m.Mart. a.2024 h.00:26

**NICOLAUS GAIO SUO OPTIMO SAL.PL.**

GRATIAS INEFFABILES, CARE GAI, PRO SYMBOLÂ TUÂ UBERRIMÂ ET PERPULCHRO PHOTOGRAPHEMATE NESTORIS ACADEMIAE ADIECTO, QUAE STATIM INSERUI MANUSCRIPTO EPISTULAE LEONINAE PROXIMAE. VALE PANCRATICÊ ET PERGE MIHI FAVERE. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS.**

**ALEXIUS SCATEBRANUS SIVE SOLOPOW MOSCUENSIS**

d.29. m.Febr. a.2024 h.00:13

**NICOLAUS GROSS LEO LATINUS PROFESSORI ALEXIO SCATEBRANO MAXIME HONORABILI SAL.PL.DIC. S.V.B.E. E.V.**

Ab *Alexio Vestigiario* discipulo tuo optimê Latinê docto accepi opus tuum excellentissimum c.t. INITIA ELOQUENTIAE LATINAE. Eidem inseruisti indicem verborum novatorum, quem magni aestimo. Utinam mihi occasio sit tecum per litteras de singulis verborum confictionibus colloquendi. - Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 inuenies ea quae *Nico de Mico* secretarius *Academiae Latinitati Fovendae* scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ. - Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). - Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Vale semper pancraticê. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

Алексей Солопов d.02.m.Mart. a.2024 h.00:02

**Alexius Scatebranus Rutenus Nicolao Gross Viro Celeberrimo s. p. d.**

De libro meo quod scribis, benigne id facis. Gaudeo nos litteris inter nos mittendis iungi posse, cum iam dudum opera tua usque a Vocis Latinae fasciculis aliquibus decenniis ante editis bene nobis sint nota, in quibus illud praeclarum de arierae uocis etymo et ui. - Dudum non potui ad te certi aliquid respondere, nam die Saturni quaedam non contemnenda in familia mea celebrari debuit, sed nunc uideo me acroasi tuae uere interesse posse; certe quidem omnem operam dabo, ut illi interessem. **Vale in praesenti optime!**

d.02. m.Mart. a.2024 h.10:38 Суббота, 2 марта 2024, 12:38 +03:00

**Nicolaus Alexio s.**

Summas gratias tibi ago pro nuntio. Valdê gaudeo te participem fore. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Groß.**

Алексей Солопов d.02.m.Mart. a.2024 h.19:08

**Alexius Nicolao sal.**

Hora demum 18.00 hodie acroasi tuae adesse potui, finemque illius a te eloquentissime factum audiui. Tycho tamen Daudianus, discipulus meus, usque ab initio adesse potuit certiolemque me fecit, te magna ex parte operi meo tractando operam dedisse. Pro quo gratias tibi magnas agimus. Ex eo die, quo liber ille a beatissimo Benedicto XVI per litteras probatus erat, hic dies uel maximum nobis attulit solacium. Gaudio erat multorum ora uidere, quos nominibus tantum notos habere solemus. **Vale, uale, uale et salue!**

d.03. m.Mart. a.2024 h.23:48

**Nicolaus Alexio sal.pl.**

Per momentum tantum temporis, care Alexi, heri vespere vidi faciem tuam. Sed vidi et gavisus sum. Quantum scio, *Nicolaus de Mico*, secretarius Academiae Latinitati Fovendae, scopocinema fecit acroaseos meae. Eum rogabo, ut tibi hoc mittat. Ceterum proximâ Epistulâ Leoninâ totum textum acroaseos divulgabo necnon de Indice tuo verborum novatorum fusê referam.

Gratulor tibi, quod *Papa Benedictus XVI* librum tuum lêgit. Quid tibi scripsit de eo? - Bene spero fieri posse, ut saepius et accuratius per litteras inter nos colloquamur de rebus Latinis quibuscumque aliis. Nam ipsis his temporibus difficilibus oportet ut omnes homines studia humaniora amplexi vinculo amicitiae coniungantur. Vale basilicê et pancraticê, mi care Scatebrane, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Groß Leo Latinus.**

d.04. m.Mart. a.2024 h.03:08

**NICOLAUS ALEXIO S.**

<https://scatebranus.livejournal.com/> Vale et fac ut mox pergas scribere. **Medullitus NIC.**

**TYCHO DAVYDOFF ADIUTOR SCATEBRANI**

03.03.2024 01:54

**Tycho Daudianus Nicolais Gross et de Mico s. p. d.**

De nominibus nouis fingendis acroasin Grossianam disertissimam, nec minus iucundissimam hodie (immo heri iam) audiui. pro ea facultate audiendi ac participandi gratias agimus atque habemus.

Praeterea uos rogare uelim: licetne taeniam cinematographicam, quae acroasin continet, mitti ad nos, quaeso, ut Scatebrano ostendam? Nicolaum de Mico istius taeniae faciendae operam dedisse intellexi. pro dolor, magister enim meus et princeps Latinitatis nostrae Rutenicae Alexius ille Scatebranus Rutenus, cuius Initia eloquentiae Latinae hodie a te, Nicolae Gross, tam scite ac callide tractata essent, decem modo sexagesimas\*, quae acroasi exeunte conclusionem fecerunt, audiuit — et reliqua auditurus certe est — ipse mihi post acroasin dixit.

Equidem uobis mutuo mitto nonnulla: imprimis Initiorum eloquentiae Latinae corrigenda, quae hic inueniri possunt: <https://scatebranus.livejournal.com/11004.html> deinde Pontificis Maximi de libro eodem iudicia, quae duobus locis in pandesmo\*\* inueniri possunt: <https://scatebranus.livejournal.com/41449.html> et <https://scatebranus.livejournal.com/10271.html> Valeatis quam optime!

\* i. e. horae partes, uolgo *minutas* —uoce Scatebranio usus sum [IEL p. 628].

\*\* uolgo *interreti* [pandesmos, i m: IEL p. 347]

d.04. m.Mart. a.2024 h.02:44

**Nicolaus Tychoni sal.pl.dic.**

Gratias tibi ago magnas, quod particeps fuisti acroaseos meae eandemque laudas tam beneuolê. Libenter rogabo *Nicolaum de Mico*, ut tibi mittat taeniam cinematographicam. Gratias etiam pro emendationibus INITIORUM Scatebrani. Iudicia Pontificis Maximi, ut verum confitear, nondum aperire potui. Sed vale pancraticê, mi care Davidiane, et fac ut saepius mihi scribas de rebus quibuscumque quae tibi in buccam veniant. Istis enim temporibus inquietis egemus solacio commercii litterarum Latinissimi. Vale semper pancraticê, **medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

**ALEXIUS VESTIGIARIUS**

Четверг, 29 февраля 2024, 1:34 +03:00

**NICOLAUS ALEXIO VESTIGIARIO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Care Alexi, iam diutulê nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! - Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 inuenies ea quae **Nico de Mico** secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ.

Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.08. m.Mart. a.2024 h.14:18

**Alexius D.ri Nicolao Gross viro humanissimo s.q.p.d.**

Ignoscas, quaeso, perlongum silentium meum. Hodie est dies 8 mensis Martii, quo Christianus Helfer sedecim annis ante mortem obiit, eodem quidem anno ac Pater Caelestis. Tu beatus utrumque noveras, ego solam Sigridem, cuius rei etiam felix sum. Christianus autem Helfer mihi semper videbatur quasi in umbra Patris Caelestis fuisse, id quod Sigridi olim scripsi. Respondit hanc opinionem non esse rectam, utrumque in varias provincias incubuisse.

Pro Epistulis Leoninis gratias tibi ago atque habeo. Fasciculo CCLXXXVI inter cetera, ut semper, lectione dignissima continentur quaedam venatica, ibidem et Russorum scriptorem illum clarissimum cognomine Turgenjew dicis Ivanum. Quid ita, nonne Io(h)annes est nominandus? Prioribus fasciculis apparebat etiam Sergeius Lavrov, cur non Sergius? Ceterum succurrit Thomas Pekkanen, qui praenomen quondam mutavit pro gentilicio Tuomone. - Habeas me, quaeso, excusatum (immo vero ignoscant alii quoque Academiae sodales!), quod ab acroasi prioris hebdomadis abfuerim. Nescio, utrum scripserim necne me kalendis Decembribus studiorum universitatem remigrasse ad docendas linguas Theodiscam et Latinam. Eheu, sat multis Theodiscae horis Latina semel tantum in septimana per unum semestre traditur. Liber scholasticus non male progreditur restante utroque vocabulorum indice componendo. **Cura, ut quam optime valeas! Alexius**

Суббота, 9 марта 2024, 19:47 +03:00 от

**NICOLAUS ALEXIO VESTIGIARIO SAL.PL.**

Animo levato accepi epistolium tuum retardatum. Nam timueram, ne quid mali tibi accidisset ipso hōc tempore iniquo et incerto, ubi nuntios officiales non accipimus nisi nebulā et tenebris obscuratos praeconationis mendacissimae.

Miror quod in memoriam revocas *Christianum Opiferum* et *Patrem Caelestem Querculacustrem* (quem Andreas Theragrus coryphaeus philologiae Moguntiacensis appellare solebat blando nomine *Dryantis*). Quod attinet ad rationem, quae intercessit inter hos duos viros Latinitatis resuscitatores, scias Opiferum non fuisse philologum, non studuisse philologiae Latinae, sed iurisprudentiae cognoscendae. Tamen olim in scholā Latinē bene doctus sedulē legebat litteras Latinas et Latinē loquebatur profluentem nobiscum in seminariis et sessiunculis in cauponā Horchianā Saravipontanā habitis. In Universitatis Saravipontanae instituto sociologorum (qui solent alieni esse a bonis litteris) cathedram tenuit unicam et singularem, cuius nomen fuit: *Cathedra scientiae cultūs civilis comparativae* - quae fuit hereditas aetatis Francogallicae - nam Saravia per quoddam tempus erat a Francogallis occupata. Opifer paucas habuit scholas academicas pro sociologis et iurisperitis (plerumque docebat de *Historiā poenae*, monstrans imagunculas suppliciorum crudelium priorum aetatum, aliquando fecit disquisitionem rei biocolyticae sociologicam). Restabat ei satis multum temporis ad studia Latinitatis vivae exotica. Altera autem huius viri cura et cupiditas magna vel maxima fuit sodalitas sive corpus alumnorum academicorum,

qui certatim dolonibus battuebant suco hordei bibendo deditissimi. Duabus de causis Opifer de Latinitate vivâ optimê meritus est: Primo id assecutus est, ut abbas Monasterii Sanctae Otiliae Benedictini permetteret Patrem Caelestem in Universitate Saravipontanâ docere Latinitatem Vivam et êdere Vocem Latinam. Alterum meritum Christiani Opiferi est eius Lexicon Auxiliare, quod - quamquam adhuc habet magnas lacunas vocabulorum - usque nunc est optimum Lexicon vernaculo-Latinum modernum. Nam nullo in Lexico alio huiusmodi inveniuntur tot verba recentiora necnon eorum fontes et quantitates vocalium tam ritê allatae. Multos quidem invenio neologismos in interreti et alibi, sed iidem sunt saepe parum consideratê, parum scientificê conficti et auctores plerumque nullum indicant fontem; saepe furati sunt verba novata e Lexico Auxiliari aut ex enchiridio Patris Caelestis, c.t. *Latinitas Viva* (ed. a.1981). Scilicet logopoetica et philologica quae insunt Lexico Auxiliari, maximam partem debemus ingenti *Patris Caelestis* scientiae et industriae et subtilitati. Sed etiam Opifer, licet fuerit vir animi indole segregi atque austerâ, laude dignus est propter lexicon suum aetate suâ exeunte per tres editiones sedulê atque diligenter perscriptum; equidem imprimis huius praepositi mei memini gratâ mente, quia mihi per plus tredecim annos cooperatori suo semper concessit magnam libertatem labores disponendi; itaque praeter symbolas Latinas scribendi et Colloquium Latinum habendi mihi restabat tantum temporis vacui, ut in provinciis phoneticâ et indogermanisticâ me dederem studiis linguarum exoticarum iucundissimis.

Haec hactenus, care Alexi, de duobus Latinitatis resuscitatoribus iam pridem defunctis, quorum memoria piâ gratâque mente a nobis Latinophilis hodiernis celebrari decôrûm atque honestum est. Nam nos oportet ne obliviscamur, ut ait *Bernardus Carnotensis*, *nanos esse gigantum umeris insidentes*. Tu autem, mi care Vestigiari, laetê doceas in Almâ Matre tuâ linguam Latinam et theodiscam necnon pergas colere philologiam Latinam Latinumque sermonem vivum: *Spartam quam nactus es exorna*. Pancraticê atque basilicê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.16. m.Mart. a.2024 h.12:43

**Alexius D.ri Nicolao Groß S. Q. P. D.**

Gratias tibi ago atque habeo, quod vividissimis verbis enarraveris ingenium Christiani Helfer, talia testimonia multo magis mihi cordi quam illa, eheu, formaliora Patris Caelestis quot decenniis in «Voce Latina» vulgata. At noli mirari me illo demum die in memoriam revocasse utrumque virum: initio (et sat diu quidem) linguam Latinam discebam «Vocem Latinam» legens et cum Sigride epistulas commutans, inde vivae Latinitatis scholam Saravipontanam valde amo. Ecce mitto colloquium anno 2016 cum Sigride institutum, quod fortasse non legisti. - *Opiferi* cognomen Latinum occurrebat mihi in fasciculis qui erant vergentibus septuagesimis editi, sed *Querculacustrem* pro Eichenseer ignoravi. Iam succurrit forma Graecanica *Cyaneus Dryolimnius* ex «Simia Heidelbergensi» Michaelis ab Albrecht. Ceterum



posterioribus «Vocis Latinae» decenniis cognomina neque iam in Latinum, neque in Graecum vertebantur, quae consuetudo originem traxisset, ni fallor, a seriore Romanorum antiquitate humanistis consequentibus. - Assentior tibi de Helferiano «Lexico auxiliari», quod etiam mihi perutile est. Etiam «Lexici recentis Latinitatis» editio Theodisca et Iosephi M. Mir «Nova verba Latina» semper ad manum. Consentio de Saravipontanorum cura atque diligentia quantitatum vocalium. Vaticani iisdem rebus pro dolor minus diligentes videntur, confer Caroli Egger lexicon nominum locorum et alterum quod et nominum virorum mulierumque. **Cura, ut quam optime valeas!**


d.30. m.Mart. a.2024 h.12:39

**Alexius D.ri Nicolao Groß viro humanissimo s.d.p.**

Gratulor tibi de festo Paschatis, quod vobis erit crastino, nobis quidem die 5 m. Maii.

In chartula Russice: **Christus surrexit! Cura, ut optime valeas! Alexius**

**Alexey Slednikov**



d.30. m.Mart. a.2024 h.19:57

**NICOLAUS LEO LATINUS ALEXIO VESTIGIARIO SAL.PL.DIC.**

SUMMAS GRATIAS, MI CARE AMICE, PRO VOTIS TUIS PASCHALIBUS PULCHRĀ IMAGINE ORNATIS. - ROGAVI NICOLAUM DE MICO

SECRETARIUM ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE, UT TIBI MITTAT RECEPTIONEM ACROASEOS MEAE ZOOMIANAE. BENE SPERO TE EANDEM INTEGRAM ACCEPTURUM ESSE. - UTINAM TU QUOQUE CELEBRES FESTUM PASCHALE PACIFICĒ ET RECREABILITER. UTINAM TANDEM PAX FIAT IN EUROPĀ ET EXTRA EUROPAM, UT FLOREANT BONAE LITTERAE ET STUDIA HUMANIORA. **PANCRATICĒ VALEAS, ALEXI CARISSIME!**

### **ANSGARIUS OSLOENSIS**

28.2.2024 23:07

**NICOLAUS ANSGARIO SUO OPTIMO ENERGIAE NORVEGICAE DISPENSATORI ARTIS FIGURATIVAE INTERPRETI SUBTILISSIMO STUDIIS HUMANISSIMIS DEDITISSIMO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Care Ansgari, diutulê nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Esne energiae Norvegicae dispensandae deditus an picturis Hispanicis considerandis? Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ. Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

29. m.Febr. a.2024 h.10:33

**Nicolao salutem Ansgarius**

Epistulam Leoninam copiosissimam accepi, vero nondum, rebus mundanis negotiisque districtus, attente perlegi. De fabellis et symbolis mox plura, ut spero. In animo habeo, acroasim tuam de verbis novis fingendis audire. **Haec breviter, in proximum!**

d.29. m.Febr. a.2024 h.13.19

**Nicolaus Ansgario suo negotioso s.**

Gratias plurimas, mi care sodalis, pro responso prompto. Iam nunc gaudeo de recensione tuâ Leoninae meae 283. - Iuvat enim et delectat fieri inter auctorem et lectorem commercium litterarum vivacissimum. Ceterum his diebus inquietis et incertis iucundissimum est maximêque necessarium animum relaxare rebus humanioribus unâ cum amicis disputandis. Denique elato animo lêgi te velle fieri acroaseos meae participem. Vale basilicê, mi care Ansgari, et perge mihi favere.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**



d.09. m.Mart. a.2024 h.10:05

### **Nicolao Ansgarius salutem**

Non sine deliciis narratiunculam de puero male morato et puella Indiana perlegi. Homo enim sum magis saeculi duodevicesimi proprius quam aetatis nostrae, non quia censeam tunc temporis rem se melius habere, non tam vehementer desipio, sed quod semper cum scripta memoriae illius evolvo, mihi videor domum tandem aliquando reversum esse. Neque vero dubito quin, error sit et falsa opinio, quas deliri menteque capti colere solent, haec inclinatio animi. In narratiuncula, igitur, inter multa alia, etiam subtiliter indicatur qua ratione homines persaepe terras longinquas vel tempora praeterita sibi cogitatione depingant, quo facilius vitam cottidianam sat asperam leniant. De interpretatione ipsa nihil intempestive proferre ausim, utpote mediocriter doctus in litteris Germanicis. Fortasse tantum pauca de cane illo fricatore imbalsamato dicendum est. Nec latine, nec aliis sermonibus vernaculis nostris, sine difficultate redditur modus, quo lectores Germanici, ni fallor, imaginentur canem illum pariter exiguum ac ponderosum ridiculumque, quoniam in iunctura verborum ausgestopfter Mops optime exprimitur gravitas canis pusilli atque habitus eius corporis rigidi. Praesertim verbum Mops mirifice sonat, quod citra irrisionem vix pronuntiatur. Forsitan Suetice effectum non haud absimilem, quantum ad ridiculum caninum attinet, habeant verba upstoppad mops. Sermo autem Sueticus sororcula est linguae Germanorum. Etiam valde mihi placuit capitulum secundum fabulae romanicae, cui titulus, In occidente nihil novi. Mirandum in modum latine interpretatus es, non sine multo labore, ut suspicor, intentiones vocum animique motiones hominum aetatis fere nostrae! Enricus enim Remarque nunc censendus est scriptor praeteriti temporis ac iam dudum effluxi. Nonne bella mundana primum et secundum rectius vocantur bella Europaea intestina? Fortasse adhuc non plene intelliximus quid his duellis factum sit, fortasse non perfecte consequentiam huius calamitatis perspeximus? Non me praeterit quanta cum perseverantia de nationibus Occidentalibus etiamnum perperam disserantur multi homines. Verum, suntne adhuc Europaei? Nonne extinctus est ultimo bello intestino, annis 1939-1945, cultus civilis Europaeorum? In narratione Enrici Remarque adumbratur, ni coniectura omnino decipior, ratio suicidi collectivum nationum Europaeorum, scilicet contentio ordinum superioris medii inferioris. Nobilitas et operarii in fossis perierunt. Ultima proles classis mediae turpiter Bruxellis fallacias machinationesque contexunt ad homines sine laribus decipiendos. Namque homunciones citra patriam, id est linguam, historiam, mores cultumque civilem, non aliter quam arbores radice evulsae, subito de vita decedunt. **Suspirio laborans te salutat Ansgarius**

d.09. m.Mart. a.2024 h.14:32

### **Nicolao Ansgarius.**

Sane desipio, scripsi saeculum duodevicesimum pro undevicesimo!

d.9. m.Mart. a.2024 h.14:48

**Care Ansgari**, hōc lapsu quem statim animadverti nullo modo sum perturbatus. Modo scripsi responsum. **Vale semper, NIC.**

d.09. m.Mart. a.2024 h.14:45

**NICOLAUS ANSGARIO SUO COGITABUNDO SAL.PL.**

Semper gaudeo, care amice, de tuis symbolarum explicationibus atque commentatiunculis. Nam soles graviora afferre cogitata quam lectores alii qui a me rogati, ut iudicent de textibus a me allatis, potius scribunt superficialia. Doctior evadere soleo litteris tuis lectis: e.g. nunc scio quomodo Sueticē dicatur i.q. Latinē *canis fricator imbalsamatus: upstoppad mops*. Ceterum - quantum scio - *Carolus Linneus*, vir Suetus magnus atque illustris, ad istud conseminium caninum ridiculum appellandum nomen Latinum finxit, q.e. *fricator*; iocosē alludens ad morem dominarum aulicarum, quae talibus canibus adhibitis feruntur ad voluptates captandas privatissimas naturalia sua fricuisse. Quid dicamus? Num supercilia subducamus? Melius est subridentes recordamur illa verba alata, q.s. *Naturalia non sunt turpia*. Vale semper naturaliter. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.09. m.Mart. a.2024 h.15:25

**Nicolao Ansgarius s.**

Optime! Saeculum undevicesimum maximi momenti fuit. Nam sub signo Divi Jani floruit, quod homines tantum praeterita tempora altius inspiciebant, quantum futura simul dementer et doctissime imaginabantur. Qua re, admodum mihi placet mente fingere quomod homines illius saeculi non tantum litteras antiquas vel aetatis barocae intellexerint, vero etiam qua ratione imaginatioens libidinum aliaqua nocturna ac turbidiora sibi cogitatione depinxerint. Ut exemplum afferam, autobiographia et rebus gestis commixtum, modo forte fortuna memoriam itineris olim facti repetivi. Abhinc multos annos, cum prima vice adulescens Romam auream perlustravi, iuxtam aream Rotundae, in via Panthei, tabulam inscriptam marmoream vidi, qua indicabatur illinc annis 1896-1897 scriptorem Germanicum Thomam Mann vixisse. Musis perfusoriis ambiguisque hortantibus, statim cogitatione finxi, vel potius mentis oculis dilucide aspexi, quomodo Thomas Mann, illo tempore viginti annorum natus, hora matutina, sese ad museum Vaticanum vel ad quandam ecclesiam aetatis barocae recipere solitus sit, animum colendi gratia. Nam non dubito quin Germanus ille humanissimus, ut decet hominem litterarum artiumque cupidissimum, dum Romae versatur, cottidie pinacotecas, palatia, ecclesias, parietinas illustres magna cum animi attentione perscrutatus sit. Itaque dilucide ope imaginationis vidi Thomam, mystace delicate tonso, iacula coloris grisei necnon camisia alba impolluta indutum, non sine libello quodam, incertum poetae italici an Romani, per crepdinem viae spatiantem. Tunc temporis, scilicet saeculo undevicesimo exeunte, mundus adhuc antiquissimus erat, ut non sine delectatione, ut puto, Thomas animadverteret lusus radiorum solis verni in lapidibus vestustissimis. Et fortasse etiam leviter vel obscurius eum opprimebat

desiderium adolescentium confusum, quem ardorem dubium ignorabat fore ut, aetate progrediente, in cupidinem veneris aversae acutam mutaretur. Quod Thomas Mann annis iuvenilibus specie non inconspicuus fuit, ut patet per photographemata, non supervacuum est nec inane, cum cognitum habeamus, quam saepe homines forma sua iuxta et ingenio acri ad multa ambigua fingenda adducantur. Roma igitur anni 1896, acute perspecta in mente oculisque poetae Germanicae, sane alius planeta fuit, quem numquam rursus licet visitare, nisi per somnia ac deliria, quae inducunt medicamenta heroica vel lectiunculae in multam noctem productae. Tunc certior factus sum, nos multo longius decessisse ab Thoma Mann adolescente, quam illum ab Romanis Graecisque. **Haec calamo festinanti, ut moris!**

d.09. m.Mart. a.2024 h.15:54

### **Salutem plurimam Nicolao Ansgarius**

Rem mirabilem narras! Qua ratione Linnaeus canem illum pussillum atque ut videtur procacem fricatorem nominaverit, auribus avidissimis accipio. Exemplum loculentum est imaginationis hominum saeculi duodevicesimi, cum latrinae non longe distabant ab sellariis (quodomo *boudoir* latine dicatur ignoro, verba id genus non facile in sermonem latinum vertuntur).

d.09. m.Mart. a.2024 h.19:37

### **NICOLAUS ANSGARIO S.**

Babae! Quam mirifico volatu phantasiae tuae abductus es ad *Thomam Mann* iuvenem Romae pervagantem! Admiror vim tuam imaginandi. Ceterum is ipse lubidinem suam Veneris aversae clandestinam in diariis suis solebat appellare *canes in hypogeo versantes* ("*die Hunde im Souterrain*"). Opera eius sunt plena allusionum secretarum, quibus clam significat cupiditates suas, sed - quantum scio - nullum testimonium habemus, unde procul dubio pateat Thomam umquam virum pedicasse aut pedicatum esse aut fellasse aut irrumasse. Uxori suae (quae facie aliquatenus virili fuit) praescipit, ut mammas quam firmissimè constringeret. In diario iam senex septuagenarius sincerè ac fideliter notat quando et quoties *Talassionem manibus indixerit* et narrat se hoc adhuc facere memorem pueri cuiusdam bellulâ facie praediti, qui in scholâ sederit iuxta se. Et adnotat: '*Amavi eius faciem, non eum ipsum*'. Ergo prorsus incertum est, utrum Thomas amator iuvenum potius theoreticus quam practicus aut Romae aut alio loco umquam venerem aversam exercuerit an mente (et mentulâ) tantum se finxerit aut pathicum aut paedicantem. *Golo* quidem eius filius historicus praeclarus aliquando dixit patrem suum fuisse cinaedum *non* practicum. Haec hactenus de re, quae nobis praebet materiam disputationis doctissimae infinitam. **Vale semper, medullitus NIC.**

d.23. m.Mart. a.2024 h.18:31

**NICOLAUS ANSGARIO SUO OSLOENSI OPTIMO THOMAE MANNII  
LECTITATORI SAL.PL.DIC.**

Libenter recordor, care sodalis, colloquium litterarum quod nuper habuimus de Thomâ Mann auctore Germano fabularum romanicarum. Mihi videris eius operibus attentissimê incubuisse perlustrandis. Estne ita? Quae fabulae Mannianae tibi plurimum placent et quibus de causis? Scribas de Thomâ Mann quidquid tibi in buccam venerint. Vale basilicê et pancraticê et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

**PHOTOGRAPHEMA QUOD SEQUITUR NOBIS MISIT ANSGARIUS OSLOENSIS**



d.24. m.Mart. a.2024 h.12:46

**Nicolao Ansgarius salutem**

Non nisi strictim obiterque aliqua opera Thomae Mann perlegi, annis iuvenilibus, cum scriptores neotericos attentius colebam. Tunc enim temporis adhuc non intellexeram, aetatem nostram non renovationem nec principia aevi ac mundi novi praebere, vero cultus civilis Europaei exitium ruinamque peperisse. Cum primis non mediocrem admirationem mihi commovit fabula eius romanica, cui titulus Doctor Faustus. De hoc opere permulta, et uberius quam epistularum angustiae sinunt, dicenda sunt, ut tantum paucis locum insignem tangam. Serenus Zeitblom, - o nomen baroquissimum, nec nequitiae omnino alienum! - qui litteris vitam moresque Adriani Leverkühn mandaverat, ni memoria me fallit, in capitulo maximi ponderis, narravit quomodo Adrianus, syphilide ex industria contracta, ut mentem sibi labefactaret vimque augeret intelligentiae, violentissimis detentus febribus, sibi visus esset cum

ipso diabolo sermocinari. Itaque, fraudum summus ille artifex, incertum visio febriculosa an re vera spiritus immundus, more suo, pactione Adrianum sibi constrinxerat, ut musicae compositor animam venderet suam non auro, nec voluptatibus variis ac multis, ne potestate temporali quidem, vero dono summi ingenii, ut opus eximium ad effectum ducere posset. Adrianus igitur, artifex callidus politusque, vero superbia inflatissimus, qui aurum et gaudia veneris furtiva respueret, commercium cum hominum vexatore, id est omnibus animi perturbationibus, non rescusavit, ut sibi gloriam compararet. Ceterum, diabolus ille, mirum in modum ambiguus, Proteoque mutabilior, non uno nomine studium suscitatur. Nam hac in occasione, spiritus hominum inimicus prae se speciem fert diaboli mediaevalis, quem adhuc Cornelius Agrippa, Johannes Trithemius, Paracelsus, Albertus Dürer, aliique scrutatores arcanorum Germanici, optime ita cognoverant, ut autem aetate seriore sensim ex hominum memoria dilaberetur. Thomas enim Mann, etsi castigator pravitatis virtutisque cultor, non aliter quam Dantes Alagherius, quem initio operis sui palmaris laudavit, cognitum habet, quemadmodum, tenebris animi spretis, frustra opera artificiosa elaborantur. Denique voce attenuata ac suavissima, habitu formaque hominis etiamnum iuvenis, diabolus sermone Germanorum prisco loquitur, id est Früneuhochdeutsch vel Mittelhochdeutsch, ut aiunt philologi. Praeterea, dicit linguam Germanicam omnium sermonum ab se amatissimam esse. Qua re, suspicor, ipsum Thomam Mann sub daemonis figura latitare. Ut decet optimum poetam, Thomas Mann sermonem patrium vehementer adamavit, ut diis antiquis Germanicis, id est verbis ac vocibus Germanissimis, etiamsi insaniam belli mundani secundi acerbe ferret, in hac fabula daemoniaca pie litare vellet. **Haec breviter, et ut spero, diabolice.**

d.24. m.Mart. a.2024 h.15:41

#### **NICOLAUS ANSGARIO SUO OPTIMO SAL.PL.**

Gratias ineffabiles, care amice, pro summario *Doctoris Fausti Manniani* disertissimè scripto! Equidem hoc opus intricatum olim non perlêgi nisi magnis cum difficultatibus; memini Thomam Mannum musicae dodecaphonicae rationes describere, quae mihi musicae artis prorsus imperito tam aenigmatica sunt quam - ut dicimus sermone theodisco - *vici Bohemici*. - *Adriani Leverkühni* pactum Faustianum admiror quamvis imitari non ausim - qui sacrificat salutem animae ad artem suam perficiendam - tamen non credo intelligentiam augeri syphilide ex industriâ contractâ - medici referunt de effectu huius morbi contrario. In summâ sanè gavisus - ut semper - de tuae epistulae argumentis eleganter allatis eandem libentissimè divulgabo proximâ in Epistulâ Leoninâ. Vale semper pancraticè atque basilicè, mi care Ansgari, et perge artes et litteras colere animo inflammatissimo. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

## HORATIUS ANTONIUS BOLOGNA TAMMARIGENA POETA LAUREATUS

d.30. m.Mart. a.2024 h.19:42

**NICOLAUS HORATIO SUO OPTIMO POETAE LAUREATO VATI TAMMARIGENAE NASSARUM PERITISSIMO NUNC EDINBURGENSI SAL.PL.DIC.**

Gratias plurimas, mi care Horati, pro litteris tuis proque nassâ diligentissimê delineatâ! Gratias ingentes pro responsis quae spectant ad artem patris tui piscatoriam et ad Tammarum fluvium. Licetne duas tantum addere, quae spectant ad primum et ad tertium carmen:

- 1) Quis est Annula, quam alloqueris primâ lineâ? Estne una ex neptibus tuis?
- 2) Celebras memoriam cuiusdam nemoris Vindobonensis. Estne certum nemus Vindobonae in urbe situm, in quo ipse versatus es, an est plāga potius imaginatione poeticâ a te descripta?
- 3) Si est verum nemus, licet tertiam quaestiunculam addere: Quâ aetate et quâ occasione in nobili Austriae capite primo versatus es? Fuitne tibi nemus illud locus amœnus, quo anima tua divino afflatu Camenae inspirata est? ---

Sollicitum me tenes de valetudine tuâ, cum narras propter difficultatem tuam aequilibrîi servandi haud multum afuisse, quin caput in pavementum frangeres. Suspicio animam tuam propter collegarum importunitatem nuper patefactam adhuc esse inquietam. Vindica te tibi, mi care Horati: obliviscere obtrectatorum livorem edacem! Cave ne cadas, mi bone amice, et animum et animam recrea aëre Edinburgi recenti et frigidulo. In Scotiâ utinam degas cum filiâ et neptibus dies hilares atque recreabiles. **In Festum Paschale tibi tuisque exopto optima quaeque! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.02. m.Apr. a.2024

### **Nicolaus optimo s. q. p. d. Horatius**

Epistola tua Paschatis die Edimburgum uenit. Quam ipse libentissimo animo, ut fieri solet, non legi sed oculis uorauit. Video te unumquodque carmen tam acriter legis, ut commentarium, eundemque amplissimum, contexere possis. Sed iterum te, rerum dulcissime, oro atque obsecro, ut, opere toto lecto, aliquid scribas. Dies uolant et quae scribis in domum editoriam mittam, oportet.

Epigramma, de quo aliquid scire cupis, duas memorat nepiculas, quarum prior, Anna, VII annum, Sophia altera LII diem agit. Epigramma, uti uidere potes, in duas diuiditur partes, quarum altera, IV uersibus ficta Annulam, altera, VI uersibus, Sophiam memorat. Quae puerulae, uti facile fingere potes, oculi mei, uita mea sunt.

Saepe Vindobona fui praeteritis annis, multa mirabilia, musea, domus patricias, theatra et domum imperialem uidi. Paruum nemus, cuius nomen me fugit, ubi aliquantulum cum uxore et filiabus sisti, Camenam mouit et imaginationi meae illud amplius, quam reapse fuerit, se praebuit.

Puto te diebus Paschalibus optime fruitum. Ipse Ediburgi, Anna comitante, Sophiam prae oculis continuo habui. Cum utraque filia fui et uxore, quia omnes cupidi fuimus Sophiae uidentae eiusdemque in familiam accipiendae. Nunc uero ad Gratianum reuertor, mendis tollendis operam daturus. **Cura ut quam plurimum ualeas, acerrime Leo Latine. Horatius**

## MAURUS PISINI POETA LAUREATUS

d.05. m.Mart. a.2024 h.18:53

**Maurus Nicolao s. p. d.**

Sat bene, at laboriose, valeo, Nicolae, multis, ut soleo, negotiis intentus. Quae est causa cur, his mensibus, pauca legam, pauca, vel paucissima scribam. Nihilominus, cum potuero, tibi versiculos novissimos mittam. - Praeterea, tibi multas ago gratias propter Epistulas Leoninas recentiores quas laetus accepi, legi, consideravi, navitatem tuam admiratus in aliorum scriptorum textibus Latine vertendis. - Denique, invitationem ad te audiendum, ope acroasis zoomianae, recipere non potui, quia domo aberam. - **Valeas, interea, meque meaque diligere perge.**

d.6. m.Mart. a.2024 h.0:05

**NICOLAUS MAURO SUO POETAE LAUREATO S.**

Gratias plurimas, mi care Maure, pro epistolio tuo post pausam longiusculam mihi misso. - Doleo quod acroasis meae particeps non fuisti. Sed textum integrum inseram Epistulae Leoninae proxima futurae. - Liceat addere quaestiunculam lexicographicam: Certê novisti Lexicon *Angeli Perugini*. Quantum recordor, ibidem sonus cattarum notissimus appellatur *\*gnaulare*. Novistine, ex quâ radice haec vox Peruginiana exorta sit? Num ipse finxit? Quid tibi videtur? An aliud nomen soni illius cattini habes Latinum? Vale semper, mi care Maure. Basilicê valeas. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.08. m.Mart. a.2024 h.08:42

**Care Nicolae,**

'gnaulare', quantum scio, est vox plebeia Latinitatis aevi medii, a verbo temporali 'gannire' derivata et a Tuscis, Arretinis praesertim, usitata sub forma linguae Italicorum vulgaris 'gagnolare' quae ad sermonem rusticum agricolarum praeteritae iam aetatis refertur quaeque, tamen, nostris quoque diebus, adhibetur ab incolis dialecto loquentibus Vallis Clanis (Vadichiana), in agro Arretino, minus vero ab illis qui in urbe degunt, cum de querelis catulorum vel felium vel canum agunt. - Quod ad me adinet, aviam meam maternam hanc vocem saepius usurpasse testor, cum de his rebus diceret, et ipse eandem ab ea primum didici.

**Valeas plurimum. Maurus**



**NICOLAUS MAURO SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Maure, quod studuisti radicem huius verbi onomatopoetici indagare. Profecto *Angelus Peruginus* sibi non temperavit, quin vocem patrii sermonis ultro declararet Latinam. - Cum usque nunc non invêni verbum originaliter Latinum ad sonum cattae denominandum, oportet utar latinizatione Peruginii sat audaci. Vale semper, mi care poeta laureate, et perge Latinitatem fovere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

**JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:44

**NICOLAUS JOANNI CAROLO SUO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Care Ioannes Carole, iam diutulê nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? - In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ. Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Febr. a.2024 h.09:22

**Joannes Carolus Nicolao suo salutem!**

Epistolam Leoninam nuperrime accepi sed nondum vacavit mihi ut legerem. Me autem acroasin tuam die Saturni proxime venturo arrectis auditurum auribus esse scito. . . . Videamus quid sit futurum cras... **Te interim bene valere cupio.**

d.29. m.Febr. a.2024 h.14:09

**NICOLAUS JOANNI CAROLO AMICO SUO AERUMNOSO SAL.PL.DIC.**

Gratias plurimas, mi care Joannes Carole, pro responso prompto et sincero. Quod attinet ad filii tui maioris morbum, dolorem tuum tecum communico. ... Toto ex corde tibi exopto ut filius reconvalescat. Ceterum fac ut perendie inter nos revideamus. Haec brevissimê, mox, si volueris, libenter plura. Pancraticê vale. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

**LYDIA BRIGHI**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:31

**NICOLAUS LYDIAE EPHEMERIDIS EDITRICI SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lydia, iam diutulê nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae

*Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ.

Thema acroaseos meae erit: **NOVIS REBUS NOVA NOMINA** (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.04. m.Mart. a.2024 h.13:23

**Lydia Nicolao spd**

Pro dolor! Nequivi me conectere mea imperitia, ob renovationem zoomianam. Nonne potest tuam acroasin recuperare?

d.04. m.Mart. a.2024 h.20.47

**NICOLAUS LYDIAE SAL.PL.**

Doleo, cara Lydia, quod particeps acroaseos meae non facta es. Proximâ occasione quaeras ex *Nicolao de Mico*, quomodo signum indendum sit.

Sed proximâ in Epistulâ Leoninâ totus textus meae acroaseos inerit. Commendo autem tibi, ut scribas *Christiano Laes* Praesidi Academiae Latinitati Fovendae (ALF), referas ei, quae tu agas in rebus Latinis et ei dicas te esse paratam ad acroasin faciendam. Christianus dixit se libenter accepturum esse petitiones acroaseos faciendae. Si Academia tibi placuerit, scribas petitionem cooptationis, et ego te commendabo, certê invenies etiam alios te commendaturos, ut fortasse proximo anno coopteris. Oportet Latinitas Viva habeat quam plurimas defenstrices fortissimas. Haec hactenus, cara Lydia, mox, si volueris, certê plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

**MARCUS CRISTINI**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:48

**NICOLAUS MARCO BRIXIANO SUO SAL.PL.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Care Marce, iam diutulê nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Iam ex nonnullis septimanis tibi ferê cottidie mitto nuntios interretiales, quos tibi placere opinor. Quid tibi videtur? Placentne tibi an displicent? Si displicent, scilicet me finem impositurum esse huic missioni. --- Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ. Thema acroaseos meae erit: **NOVIS REBUS NOVA NOMINA** (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.01. m.Mart. a.2024 h.12:52

**Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago pro Epistula Leonina 287, quam grato animo accepi et diebus proximis futuris procul dubio evolvam. Me excusatum habeas, quaeso, de silentio haud brevi, sed laboribus academicis variis obruor. Cras acroasim tuam libenter audiam. - Nuntios interretiales, quos mihi misisti, interdum raptim legere valeo. Ut cecinit Vergilius, sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt. Media rerum perturbatione universa, qua societas nostra hodie afficitur, exoptandum est, ut pax iusta et tranquillitas animorum quam primum redeant, ne bellum et tromocratia Europam quoque Occidentalem mox dilacerent. **Optime vale.**

d.01. m.Mart. a.2024 h.15:29

**Nicolaus Marco suo optimo s.**

Gratias magnas pro responso! Gaudeo te cras auditurum esse verba mea. Ceterum valdê paenitet me tibi nondum misisse \*haptoscopemata (scans) periodici illius neolatini, c.t. "Pro linguâ Latinâ". Habeas me excusatum nimis negligentem! Suntne adhuc tibi utilia? Exspectes etiam paulisper, mox tibi mittam. Vale semper basilicê et perge mihi favere. **Medullitus Nicolaus Leo Latinus**

d.02. Mart. a.2024 h.19:20

**Marcus Nicolao optimo et re vera philologo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago pro oratione tua Zoomiana hodierna, quam libentissime audiui. Excusatum me habeas, quaeso, ob vultum meum minime ostensum et verba gratulatoria haud prolata, sed Florentiae his diebus versor et aditus ad interrete admodum est tenuis, cum ipse fiat sophophono favente.

Inquisitionem tuam botanico-etymologicam valde miratus sum. Nomina enim plantarum Linnaeus, artis botanicae modernae pater, et alii regni vegetabilis studiosi, qui eadem aetate vixerunt, litteras tam Latinas quam Graecas optime callebant et haud raro Theophrastum, Plinium et Columellam nocturna diurnaque manu versabant, sed editiones, quae eis erant praesto, interdum mendis scatebant et praeterea in alias linguas antiquas vel excavationes archaeologicas numquam incubuerant. Qua de causa operae est semper pretium vocabulorum historiam etymologiamque quam attentissime perscrutari.

Quod ad fontes operis tui lexicographici attinet, in commentariis periodicis, qui saeculo vigesimo typis traditi sunt, saepe de novis verbis agebatur et fasciculi permulti in interreti adsunt, praesertim ob labores impigerrimos Caroli Lyvens, qui haptoscopemata fere infinita posuit in situm interretialem, qui Arx Latina inscribitur (<https://arxlatina.org/>). In *Voce Urbis* et *Alma Roma* multa invenies, quae ad technologiam modernam spectant, eo fere tempore excogitata quo novae res nova nomina in ipsis linguis vernaculis accipiebant.

Ceterum tibi suadeo, ut ingentissimum quoque thesaurum verborum ab Angelo Perugini compositum legas, si eum nondum volutaveris (Angelo Perugini, *Dizionario*

*italiano-latino*. Città del Vaticano: Libreria Editrice Vaticana, 1976, 2322 pp. [!]). Arbitror hoc esse maximum lexicon vocabulorum a sermone quovis vernaculo in Latinum conversorum. Perugini interdum loquelam Italicam magis quam etymologiam vel praecepta Bacciana adtendit, sed nonnullae paginae fortasse tibi subsidio erunt.

**Optime vale et perge Latinitatis cultores novis verbis donare!**

d.04. m.Mart. a.2024 h.23:47

**NICOLAUS MARCO SUO BRIXIANO INGENIOSO SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Marce, tibi ago, pro adiumentis litteraturae secundariae. - Nondum sciveram *Carolus Lituanius* tot commentarios neolatinos haptoscopasse et irretivisse in sedem, cui nomen imposuit ARX LATINA. Bene fecit et industriosê! - Bonus *Peruginus* fuit Saraviponti ante quadraginta ferê annos in grapheo meo universitario - tempore quod iam pridem transactum est - iam diu non vidi hoc opus crassiusculum. Profecto *Peruginus* multa collegit, sed non semper satis accuratê disquisivit et vix fontes suos indicat. Memini apud eum indicari sonum cattaie neolatinum: "\*gnaulare, -o, -avi" - Novistine? Nescio unde *Peruginus* hunc neologismum sumpserit - num ipse finxit? - Lexicon huius viri industriosi est reverâ valdê crassum - difficile missu. Scisne num huius operis exstent haptoscopemata? Verisimile non est. - Semper tibi gratus sum pro talibus nuntiis bibliographicis, mi philologe botanista. - Alia quaestiuncula spectat ad philologos: Novistine Professore *Alexium Scatebrani (Solopow)* et *Alexium Vestigiarium (Slednikov)* necnon *Tychonem Davydovium*? Qui sunt Russi philologi naviter Latinitati Vivae studentes. Iamne eosdem eorumque opera spectavisti? - Utinam studia tua et philologa et botanica vivant crescant floreat! Haec raptim, mox certê, si volueris, multo plura. Vale basilicê atque pancraticê, mi Brixiane clarissime, et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.10. m.Mart. a.2024 h.13:05

**Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

Quatenus sciam, nulla haptoscopemata lexici Peruginii umquam facta sunt. Vix enim quemquam invenies, qui totum Thesaurum vocabulorum ope lucis transcribere valeat. Quod ad sonum cattaie attinet, recte scribis. Nam p. 1185 lego "*miagolare, gnaulare*". Quod verbum Italicum est (<https://www.treccani.it/vocabolario/gnaulare/>), sed hodie omnino desuetum. *Peruginus* inter synonyma scribit etiam "edere gnau gnau, gannire, felino gemitu queri, conqueri, lamentari, plorare". - Virum humanissimum ac Latinissimum *Alexium Vestigiarium* bene novi, qui plusquam semel mihi poetas Latinos recentissimos inquirenti subsidio venit. - *Alexii Scatebrani Initiorum eloquentiae Latinae* praefationem libenter legi in *Epistula tua Leonina 280* et cum eo de aetatibus Latinitatis consentio. Nam mea quoque sententia "Latinitatis aetatem, quae annum MDCCCXL secuta est, [et] nunc usque continuatur, a priore disiungere atque aetatis recentissimae nomine distinguere" oportet, cum illo tempore e.g.

Certamen Hoeffftianum apparatus est et senatores Hungari in conventibus Ciceronis lingua uti desierunt. Dein a. 1850 orta est Methodus Lachmanniana, qua studiosi scripta auctorum antiquorum ratione re vera philologa investigare potuerunt. - Tycho contra Davydovius mihi non est notus.

**Cura, sodalis impigerrime, ut optime valeas, et labores tuos lexicographicos Leoninos, immo Herculeos, perge animose!**

d.10. m.Mart. a.2024 h.21:41

**NICOLAUS MARCO SUO SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Marce, pro nuntiis lexicographicis. Ceterum alterum sonum cattaie notissimum quomodo Latinê appellas, qui Italicê appellatur "*fare le fusa*"? Nonnulli auctores neolatini scribunt "*susurrare*", quod est onomatopoeiticum, sed - quantum scio - in litteris Latinis antiquis semper valet "*loqui voce submissâ*". Quid sentis, et philologe et naturae investigator sagacissime? Vale semper, medullitus te salutatur **Nicolaus Leo Latinus**

d.12. m.Mart. a.2024 h.19:45

**Marcus Nicolao suo s.p.d.**

Optima est quaestio tua, care Leo, et Peruginus vocabulis copiosus nobis minime auxilio venit. In Vicipaedia Latina lego verba *murmurillum / murmurillo, as, are* ([https://la.wikipedia.org/wiki/Murmurillum\\_\(felis\)](https://la.wikipedia.org/wiki/Murmurillum_(felis))), utraque Latina (ThlL 8.1678, ll. 41-48), quamquam aliquis conicere potest ea lectiones esse a scribis corruptas. Quidquid id est, in Plauto ad homines et non ad feles vocabula haec murmuriosa pertinent. - Legi optimum carmen Olyndi Pasqualetti c.t. *Excubans poetae morienti feles*, sed poeta verbo singulari haud utitur ad felem murmurantem exprimendam, cum haec scripserit (p. 13):

*in sella propius proiecta domestica feles,  
ut solet, inlitas dum faucibus, aegra sopori  
indulgens, tenui stridore reciprocatur auras...*

Tibi suadeo, ut legas symbolam Theoderici Sacré, c.t. '*Felis viator*' sive de carmine quodam Iohannis Mazza (1877-1943) inedito, in H. Lamers & S. Bär (cur.), *Studia in Honorem Vibeke Roggen*, Oslo 2022, pp. 313-337, praesertim pp. 327-336, quibus inest bibliographia quam accuratissima de catts apud auctores Neo-Latinos. - Si tibi forte opus fuerit lexicon Peruginianum versare, mihi scribe sine ulla cunctatione. Libenter paginas ope sophophoni in photographemata versas vel haptoscopemata tibi mittam.

Quod ad fasciculos commentariorum *Pro lingua Latina* attinet, carmina quae legere velim tibi indico, ita ut ea expedite invenire possis, cum primum otio fruaris (sine ulla festinatione):

- PLL 7: Emil SCHAFFNER: Ein Chronodistichon für 2006
- PLL 7: Werner SIMON: Romfahrtgedicht (Estne carmen Latinum?)
- PLL 7: Hermann KRÜSSEL: Nos haec novimus esse nihil (Estne carmen Latinum?)
- PLL 7: Alesius: Eine Ode auf Miroslav Klose. Gerardus Alesius dichtet im Stile des Horaz.

- PLL 13: Anna Elisa RADKE: De Carolo Theodoro de Guttenberg.
- PLL 13: Ludovicus OERTEL: Centones Vergiliani
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: Ad nationem Aegypticam
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: De Lampedusa insula + Ad sanctum Nicolaum

Ceterum, nisi negotium tibi nimis est molestum, symbolas quoque has de Latinitate hodierna legere velim:

- PLL 7: H. Pomsel, Latein als NATO-Sprache.– [Anekdote aus Helmut MICHAELIS: Reservisten-Report XV.– mitgeteilt von Otto PLASSMANN]
- PLL 13: Hermann KRÜSSEL: Maneat nostros ea cura nepotes.

Gratias tibi maximas in antecessum ago, sodalis humanissime.

**Cura, ut optime valeas.**

d.13. m.Mart. a.2024 h.19:18

**NICOLAUS MARCO SUO DOCTISSIMO S.**

Summas gratias, care Marce, pro fontibus litterarum quos indicas scaturientibus.

Nunc habeo duo nomina soni cattini: et *susurrare* et *murmurillare*. Adhuc muginor ultra harum vocum utar. - Paene dixi me a te terri benevolentiam niam eo quod mihi praebes Lexici Peruginiani haptoscopationem. Tantum laborem Herculeum numquam a te postulabo! Sed singula lemmata aut symbolas huius lexici si mihi occasione data indicabis, gratissimum mihi facies. - At ego ipse tibi iam pridem debeo paginas illas carminum neolatorum *Krüsselianas* (Hermannus *Krüssel* est nomen editoris). Iterum te rogo, ut exspectes paulisper. Programma computatri mei est probandum.

**Haec raptim, mox plura. Medullitus Nicolaus Leo Latinus.**

d.15. m.Mart. a.2024 h.12:58

**NICOLAUS MARCO SUO OPTIMO SAL.PL.**

EN HAPTOSCOPEMATA PAGINARUM ILLIUS PERIODICI C.T. PRO LINGUA LATINA. INFRA INVENIES INDICEM PAGINARUM. SCRIBE MIHI, NUM BENE ACCEPERIS. VALE SEMPER.

**HAEC RAPTIM MOX PLURA NICOLAUS LEO LATINUS**

**MARCO CRISTINI PRO LINGUA LATINA**

PRO LINGUA LATINA

**7 OSTERN 2006:**

p.15-16: Dr. Emil Schaffner: Ein Chronodistichon für 2006 – ein Werkstattbericht

p.25: H. Pomsel, Latein als NATO-Sprache.– [Anekdote aus Helmut MICHAELIS: Reservisten-Report XV.– mitgeteilt

von Otto PLASSMANN] (*Nuntius breviculus theodisce scriptus*)

p.69: Werner SIMON: Romfahrtgedicht (*Estne carmen Latinum? - Non est - constat ex distichis elegicis theodiscis*).

p.112-113: Hermann KRÜSSEL: Nos haec novimus esse nihil

(*Estne carmen Latinum? - Sunt Epigramma Martialis XIII 2 eiusque 2 versiones theodiscae, prima (Barié/Schindler) solito more scripta, altera (Demming) liberiore et moderniore*)

p.124: Alesius: Eine Ode auf Miroslav Klose. Gerardus Alesius dichtet im Stile des Horaz (*Carmen Latinum: Alesius, versio theodisca: Krüssel*)

**13 FRÜHJAHR 2012:**

p.84: Anna Elisa RADKE: De Carolo Theodoro de Guttenberg.

p.147: Anna Elisa RADKE: De Lampedusa insula – Ad Sanctum Nicolaum patronum nepotis.

p.32-38: Hermann KRÜSSEL: Maneat nostros ea cura nepotes

(*symbola theodisca, quae spectat ad Archiducem Ottonem de Habsburg, qui olim in parlamento Europaeo Latine respondit orationi Latinae Marii Capannae: p.36*).

15.03.2024 19:20

**Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago, care Leo, pro haptoscopematis mihi missis! **Optime vale**

16.3.2024 01:22

**NICOLAUS MARCO S.**

Accepistine omnia integra et bene legibilia? **Vale semper, NIC.**

d.17. m.Mart. a.2024 h.09:35

**Marcus Nicolao optimo s.p.d.**

Hodie haptoscopemata inspicere valui et gratias tibi denuo ago pro paginis ope lucis exscriptis mihi que missis. Omnia accepi praeter

- PLL 13: Ludovicus OERTEL: Centones Vergiliani
- PLL 13: Anna Elisa RADKE: Ad nationem Aegypticam

Nescio tamen, utrum haec re vera in PLL 13 typis excusi sint, cum menda facillime in indicem irrepant. **Optime vale!**

d.17. m.Mart. a..2024 h.15:49

**NICOLAUS MARCO SUO S.**

Profecto in fasciculo 13 PLL (Frühjahr 2012) *Ludovicus ÖRTL* et *Anna Elissa RADKE* scripserunt nonnulla:

**1) ÖRTL: PLL 130-145**

Ille Ludovicus Örtl CENTONES VERGILIANOS publicavit bilingues (Latino-theodiscos):

CENTONES VERGILIANI sive versus Aeneidos nostro tempore adaptati - Flickengedichte nach vergilischer Vorlage oder: Auf unsere Zeit angewandte Verse aus der Aeneis, Übersetzung Hermann Krüssel: p. 130-145, sinistra pagina semper est textus Latinus, dextra theodiscus.

**2) RADKE: PLL 146**

Ad nationem Aegyptiam (mense Februario) - An das Ägyptische Volk (bilinguis: Latino-theodiscum), nonnullae notae theodiscae sunt additae.

Studebo etiam has paginas tibi mittere haptoscopatas. Paulisper exspectes, mi care amice, patienter. Vale semper, haec breviter, mox certe plura.

**Medullitus Nicolaus Leo Latinus**



## MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.24. m.Febr. a.2024 h.17:12

### **Nicolaus Maximiliano suo s.**

Gratias plurimas, mi care Maximiliane, pro epistolio tuo bellulê scripto. Quod attinet ad argumenta et elocutionem, praefero lepidam simplicitatem sollemnitati turgidae. Statim inserui verba tua manuscripto Epistulae Leoninae; fiet symbola propria loco bene visibili collocata, ut tirones exemplo tuo percepto discant Latinê scribere. Usus sum litteris cursivis (*Segoe Script*), quae habent formam familiariorem et iucundiolem quam capitalis quadrata. - Proximo die Saturni futuro sub reservatione Iacobeâ faciam acroasin meam zoomianam. Loquar de novis verbis Latinis fingendis, horâ quintâ p.m. Bene spero te vacaturum esse verbis meis audiendis - estne ita? - In praesenti ultimam manum impono Leoninae 287; utinam cras in lucem editam accipias et perlegas quam maturrimê, ut scribas mihi de argumentis huius Epistulae Leoninae copiosae quidquid tibi in buccam venerit. Haec hactenus brevissimê, mox certê plura. Utinam Margarita soror tua quam optimê reconvalescat! Salutes, quaeso, eam a me. Pancraticê et basilicê valeant tu tuique.

### **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.25. m.Febr. a.2024 h.22:58

### **LEO LATINUS MAXIMILIANO SUO MYSTAGOGO PERITISSIMO S.**

En vide quid scripserit *Nicolaus de Mico*: Signum electronicum, quo indito intrabis in Systema ZOOM et audies et spectabis acroasin meam. Haec brevissimê, mox certê plura. Pancraticê vale. Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

d.27. m.Febr. a.2024 h.09:46

### **Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Gratias tibi pro clave et ligamine, quo tuam acroasim audire poterimus. Die Saturni adero, si mihi mihi hac clave contigerit, ut spatium intrem et in systemate adsim. Novissimam Epistulam Leoninam autem nondum lucem publicam aspexisse opinor. **Vale multum!**

d.27. m.Febr. a.2024 h.11:30

### **Nicolaus Maximiliano suo optimo s.**

Utinam clavis rectê operetur! Novissimam Leoninam hodie, ut bene spero, perficiam. Quae est sat copiosa (habet ferê 200 paginas). Utinam bene accipias. **Haec raptim, mox plura. Medullitus Nicolaus.**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:00

### **Nicolaus Maximiliano suo optimo sal.**

Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? Scribe de eâdem quidquid tibi in buccam venerit. Num die Saturni horâ quintâ p.m. faciem tuam visurus sum in visificio

computatri mei? Videbimus. Vale semper pancraticê et basilicê, mi care mystagoge Augustane. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.29. m.Febr. a.2024 h.20:34

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Nempe nuper Epistulam Leoninam 287 editam esse vidi et mihi contigit, ut eam aperirem. Gratias tibi, Nicolae, pro epistula multis rebus refertissima ago. Imprimis chronogrammata, quae Tobias Rössler ingeniose scripsit et tu optime edidisti, mihi perplacent, etiam hominum, qui nuper decesserunt, ut Iohannis Assmann, Brunonis Ganz, Alexii Nawalny. Doli quoque puerorum pravorum, quos in Latinum convertere soles, notae praestantissimae sunt! - Multa difficili rerum publicarum tempore de tristibus odiis, quae inter populos incitata sunt, refers. At vide, ne fortasse uni populo nimis faveas Hebraeoque nomini infestus esse videaris! Hoc amicus iunior amicam maiorem natu benigne monere audeo, quod scio, quam difficile sit in iudiciis aequitatem servare. Nonne saepe varii eiusdem rei conspectus modique considerandi sunt? - Diem Saturni laetissimum cogito, quo orationem tuam habebis. Eam audire et te spectare volo ac cupio. Et fortasse etiam cinematographicam machinam, quae in ordinatro meo est, expediam, ut videar. Certe omnes latinistae magnum fructum ex oratione tua capient. Rem feliciter geras! Quid tibi videtur? Clavem, qua adhibita auditorium intretur, amicis Monachensibus tradam an non tradam?

**Ad diem Saturni vale multum!**

d.29. m.Febr. a.2024 h.22:22

**NICOLAUS MAXIMILIANO SAL.**

Libenter tibi permitto, ut acroasin cinematographes - si cui placet meam mediocritatem spectare (quod difficile mihi senescenti est animo confingere, ut verum confitear). - Quod attinet ad iudicii unilateralitatem quam putas inesse novissimae meae Epistulae Leoninae, te rogo, ut accuratius perlegas: Animadvertes hic vituperari non gentem Hebraeorum, sed ideologiam zionismi. - *Radulfus Verleger*, Iudaeus, cuius tota familia in ergastulis nacistarum interfecta erat, dixit de Israele: "IN TERRÂ RAPTÂ NON POTEST VIVI PACIFICÊ". Cognoscas, care amice, criticos istius ideologiae (*Verleger, Pappé, Finkelstein* necnon manifestatores Londinenses et Neo-Eboracenses indignatissimos) ipsos esse Hebraeos ("*NOT IN MY NAME!*") reclamant caedi et stragi Gazensium civilium, praesertim infantulorum atrocissimae!) --- Ceterum in totâ EL 287 non ego ipse iudico, sed nihil facio nisi Latinê reddo verba aliorum, qui rem, quam vituperant, optimê noverunt. - De thesi illâ ipsius *Kamal Salibi* historici Libanensis evangelico-lutherani (qui ex nominum geographicorum comparatione admirabili conclusit Bibliam exortam esse in Arabiâ Saudianâ (in terrâ "ASIR") alii aliter sentiunt. Equidem non ausim diiudicare. Haec thesis - ut ipse *Salibi* concessit - definitivê et decisivê non demonstrari poterit nisi in ASIR (in regione quadam Arabiae Saudianae) fient effossiones archaeologiae. Mirum est, quod adversus studia archaeologica Israelianorum industriossima in ipso Israele

perpaucae inventae sunt res, quae biblicae aetatis esse videntur. Fortasse in ASIR inveniri poterit **TEMPLUM SALOMONIS**, quae in Israele frustra quaeritur... Sed non est verisimile magistratûs Saudianos permissuros esse, ut tales effossiones fiant. Nam unâ ex parte conclusiones Salibianae non congruunt cum Alcorano, alterâ ex parte in ASIR sunt multae stationes observationis militaris Americanorum secretae... - Ita factum est, ut ex morte *Salibii* nemo iam auderet eius thesin pertractare et ad obrussam exigere... Quod doleo. Nam qui thesi Salibianâ nititur, multos locos Veteris Testamenti, qui usque nunc sunt obscuri et aenigmatici, melius et facilius explicare scit... Quid tibi videtur? Nonne tu praeter Latinitatem etiam studuisti theologiae pernoscendae? Haec hactenus. Crede mihi me non esse unilateralem zelatorem, sed neutralem relatores chronistam explicatorem interpretem ... Vale pancraticê! - Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.01. m.Mart. a.2024 h.19:36

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Maximas gratias tibi, amice, pro epistula tua ago. Rem tuam bene et iustissimis argumentis vallavisti atque defendisti, quae probo (gentem Hebraeorum a te non vituperari, te nihil facere nisi Latine reddere verba aliorum). Sed tamen meum vexillum (meae opinionis) non deseram: scelerato Marte bellum atque iniurias inferre et prior arma movere iniustum ac inhumanum est. Neque autem bellum crudeliter defendere et iniurias illatas iniuriis propulsare Christiani sive Iudaei sive Musulmani sive hominis, qui aliquo modo humanitatem profitetur, esse videtur. Belli altera pars scelestae fecit et facit, altera pars pravis studiis indulgens errat et impie facit. Nonne utriusque partis facta condemnanda sunt? Belli alicuius concitatores homines probos esse non puto. De concilianda pace nunc est agendum. Media consilia sequi debemus, ut mihi quidem videtur, qui rerum publicarum minime peritus sum. Itaque neque alteri parti neque alteri vocem praebebo. - Magis de argumentis a re publica paulum remotioribus sermones Latinos habendos esse censeo. Itaque litterae amoeniores, fictae narratiunculae, bellae fabellae, litterae inutiles et otiosae animum meum (puerilem in sene) magis delectant. Ut narratiunculae de Puero male morato et de Oedipode, quos perpulchra Latinitate donavisti. Sed suum quisque iudicium habet et de gustibus non est disputandum. Nolo te mea opinione ab iucundissimis novis Epistulis Leoninis edendis arceri, quas latinistae ardentem exspectant. - Omnimodam prosperitatem et suave otium hunc in finem animitus tibi apprecor. **Vale.**

d.01. m.Mart. a.2024 h.23.46

**Nicolaus Maximiliano s.**

De singulis universis occasione datâ plura. Sed melius quam ille patronus Britannus voce clarissimâ loquens tibi explicare non valeo iniuriam maiorem et vetustiore commissam esse a zionistis, victimas flebiles inde ex anno 1947 esse Palaestinos. Quod zionistae causam crudelitatis suae ineffabilis et interfectionis hominum civilium massalis semper semperque afferunt Hamasianos pessimos sub domibus

occultatos sibi esse omnes necandos, ne isti existantiae Israelis immineant, est excusatiuncula mendacissima: *Hamasi* leviter tantum armati numquam existantiam Israelis optimè armatae potuerunt delere (hoc clarè explicat Prof. *Mearsheimer*). Quod zionistae verbis efferunt Hamasianos esse tromocratas, ridiculum est: Nam si historiam Israelis moderni peroveris, facile cognosces nullam civitatem magis tromocraticam esse quam ipsum Israelem: Ipsi Praesidentes (exemplum notissimum: *Menachim Begin*, qui praemio Pacis Nobeliano est ornatus!) huius civitatis fuerunt tromocratae, qui homines necaverunt, magna deversoria et navigia displodenda curaverunt et multa alia maleficia commiserunt sub praetextu terrae promissae et gentis a Deo electae. Ceterum non multum afuit, quin tromocratae Israeliani necarent *Conradum Adenauerum* (eius loco mortui sunt alii). Noli oblivisci *Mossad* et *Shinbet* officia Israelis secreta maximè mortifera omnis scrupuli expertia. Nullum aliud officium alius terrae tot homicidia mandaticia extra ipsam terram quotannis committit (sine ullâ causâ iuridicâ homines peregrini a *Mossad* interficiuntur aut pistoliis aut veneno aut materiâ displosiva aut teleplanis, i.e. *Drohnen*, aut aliis instrumentis).

Quod attinet ad impetum Hamasiatorum d.7. m.Oct. factum, multae atrocitates putativae falso referuntur a nuntiis officialibus. Reverâ neque infantes decapitati sunt neque mulieres constupratae. Hamasiiani voluerunt obsides captare, ut permutarent cum Palaestinis in carceribus Israeliae captis, noluerunt coram mundo spectacula crudelitatis praeberere. Ceterum ipsâ in ephemeride Israeliana (*Haaretz*) iam pridem relatum est d.7. m.Oct. multos colonos Israelianos ab ipsâ militiâ Israelianâ necatos esse, secundum doctrinam *Hannibalis*: Israeliani nolunt proprios homines captari ab hostibus. Hoc est crudele et inhumanum, sed est doctrina zionistica.

Quae sum ita sint, non verum est in bello Gazensi utramque partem esse aequam, ideoque culpam contraxisse: inde ex NAKBA (i.e. immani expulsione) anni 1949 Palaestini sunt victimae et zionistae sunt suppressores phyletistici et crudelissimi. In Israele dominatur DIACRISIS PHYLETICA (*apartheid*). - Haec hactenus. Commendo tibi verba *Ilani Pappé* et *Iohannis Mearsheimeri* legenda. Butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum. **Fac ut cras inter nos revideamus. NIC.**

d.07. m.Mart. a.2024 h.14:24

### **Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Septem iam dies transierunt ex tua schola, quam de nominibus novis quaerendis explicavisti et quam animo erecto et attento et grato audivi et spectavi. Gratias tibi ago, quod mihi eam clavem dedisti, qua ad nobilem coronam tuam, in qua viros mulieresque claros viderem, accederem. Semper admiror te tam optime fluenterque Latine loqui. In horreo autem ordinatri mei orationem tuam non recondidi, quia ad talem rem patranda rerum technicarum scientia mihi omnino deest.

Sed causa epistulae alia est: Oro te, ut dies, quibus hoc anno 2024 ambulatio per Augustam Vindelicum futura sit, in proxima Epistula Leonina publices. Nam ver esse

incipit et ambulationes mox incipient. Quae tua humanitas sit, te secundum tuum morem id effecturum esse spero. Documentum appendicis loco addidi.

Ut vires et animus tibi semper – ut nunc est – abundant tibi exopto.

**Ex Augusta Vindelica Augustanus ego (Maximilianus) ad te (Nicolaum) scripsi.**

**Vale!**

d.07. m.Mart. a.2024 h.23:42

**NICOLAUS MAXIMILIANO SUO MYSTAGOGO AUGUSTANO SAL.PL.**  
 GRATIAS PLURIMAS, CARE AMICE, QUOD ACROASIN MEAM AUDIVISTI TAMQUE BENEVOLIS VERBIS DIGNARIS. - PRAECONIUM AMBULATIONUM TUI IAM INSERUI MANUSCRIPTO PROXIMAE EPISTULAE LEONINAE FUTURAE (EL 288), QUAM EDITUM IRI POST DUAS FERÊ SEPTIMANAS BENE SPERO. UTINAM ET TU ET SOROR TUA VALEATIS BASILICÊ. **MEDULLITUS VOS SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS.**

d.08. m.Mart. a.2024 h.11:14

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Maximas tibi gratias ago. Septimana tibi beate atque feliciter exeat!

d.08. m.Mart. a.2024 h.12:04:14

**NICOLAUS MAXIMILIANO SUO SAL.PL.**

Utinam tibi quoque, care amice, haec septimana bene exeat proximaque bene incipiat (die Lunae finietur ultimum Russiae). Utinam ne *TAURUS Schrobenuanus* mortifer volet in pontem Chersonesi Tauricae, utinam ne *PUGIO Putini* destruat *Schrobenuam* (quam vidi esse oppidulum amoenum - novistine? Utinam ii quibus infeliciter mandata est gubernatio civitatis nostrae, pacem praeferant bello, quo finito superstites invidebunt mortuis. Et tu et soror tua valeatis basilicê et pancraticê et pergite mihi favere. Medullitus vos salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.08. m.Mart. a.2024 h.15:28

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Re vera oppidum Schrobenuanum amoenissimum est, quod ex itineribus birotariis novi. In tectis medii oppidi magna multitudo ciconiarum nidos construere solet. Per oppidum crotolant. Nam crocalistriae propter Parum fluvium in pabulum procedere amant. Tantum belli apparatus perniciosum neque ego approbo. Immo quae pacis sunt cogitemus, nisi forte terrarum fatale malum malum. **Vale multum et hoc sole et his aromatibus veris, quae nunc ubique sunt, utere!**

d.08. m.Mart. a.2024 h.15:46

**NICOLAUS MAXIMILIANO SUO AROMATICO S.**

Suaviter affectus sum legens de *Schrobenuâ* eiusque ciconiis. Ceterum sonus ciconiarum, quantum scio, Latinê aut dicitur (secundum Suetonium) *crotolare* aut

*glottorare* (secundum *Anthologiam Latinam*). Soni bestiarum multi denominantur in quodam fragmento *Suetonii*. Tamen frustra usque nunc quaero nomen soni cattarum notissimi. Usque nunc nullum nomen huius significationis invêni nisi illud *gnaulare* ab *Angelo Perugini* in Lexico allatum; quod nihil est nisi Italicum verbum modernum onomatopoeicum. Estne tibi alius fons - sive antiquus sive mediaevalis sive recentior Latinus, in quo sonus cattinus iucundissimus denominatur?

**Vale semper, mi care Maximiliane. Medullitus NIC.**

d.08. m.Mart. a.2024 h.23:18

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.**

Antiquis temporibus et media tempestate feles nullum tam iucundum sonum edidisse videntur. Nam nullus ab auctores commemoratur, quantum equidem scio. Sed recentiores auctores afferre possum, inter ceteros etiam **te ipsum!**

**schnurren (Katze)**

*susurrare* Memento Audere Semper 26,28 et Mercedes Gonzalez-Haba, Tacitus cattus, Saarbrücken 1997 pagina 36

**laut schnurren** *valide susurrare* Tacitus cattus pagina 56 et *clare susurrare* Tacitus cattus paginae 16.26.57 et *pro viribus susurrare* Tacitus cattus pagina 18

**lieb schnurren** *blandule fremere* Recitator, Fabula romanica, quam theodisce scripsit Bernhard Schlink in Latinum convertit Nicolaus Groß, Senden in oppido Bavariae Suebicae a. 2012 pagina 31 et *blande susurrare* Tacitus cattus pagina 17

**Die Katze schnurrt.** *Cattus susurrat.* Vox Latina tomus 38,560 *Cattus susurros facit.* Vox Latina tomus 38,560

**das ruhige S.** *quietus susurrus* Michael von Albrecht, Carmina Latina, Studien zur klassischen Philologie Band 179, Berlin 2019 pagina 99

Spero me hoc parvo vocabulario tibi adiumento esse posse.

Ceterum, quantum scio, homines periti adhuc nesciunt, quomodo feles hunc susurum ex imis faucibus provenientem efficiant. Id aenigma disciplinae biologicae nemo adhuc solvisse videtur. **Vale multum!**

d.09. m.Mart. a.2024 h.12:52

**NICOLAUS MAXIMILIANO SUO S.**

GRATIAS INGENTES, CARE MAXIMILIANE, PRO PERSCRUTATIUNCULÂ INDUSTRIOSÂ! - **VERBUM SUSURRANDI** CERTÊ AD SONUM PERBENE QUADRAT, AD SENSUM ORIGINALIEM MINUS BENE. SED EST VERBUM LATINUM, QUOD NON EST **VERBUM GNAULANDI**. AMICE, ME ADIUVISTI! LICETNE TIBI ALTERAM LACUNAM LEXICI MEI OFFERRE EXPLENDAM? - IS SONUS, QUI AUDITUR IN COMEDENDO ET OSCULANDO LABIIS UMIDIS CONCLUSIS ET RAPTIM APERTIS, QUONAM MODO APPELLATUR LATINE? "COMEDERE/OSculari cum STREPITU" MIHI NON SUFFICIT, ETIAM "LABIIS STREPERE" DISPLICET. INTER COMEDENDUM AUDIUNTUR ETIAM ALII SONI, QUIBUS NOMINA

PROPRIA SUNT IMPONENDA. QUID TIBI VIDETUR, OPTIME  
MAXIMILIANE? SUSPENSO ANIMO EXSPECTO RESPONSUM TUUM. VALE  
SEMPER, NIC.

### SCHMATZEN

*Bedeutungen:* [1] *intransitiv*: ein Geräusch verursachen, das durch Schließen und rasches Öffnen der feuchten Lippen entsteht (meist beim Essen oder Küssen)

*Herkunft:* von *mittelhochdeutsch smatzen*→*gmh*, das eine Wortzusammenziehung (*Kontraktion*) aus *mittelhochdeutsch smackezen*→*gmh* „mit Wohlgefallen laut essen“, dem *Intensivum* zu *mittelhochdeutsch smacken*→*gmh*, *smachen*→*gmh* „schmecken, wahrnehmen, riechen, duften“, darstellt.[1]

*Beispiele:* [1] Ich hasse es, wenn jemand am Tisch beim Essen *schmatzt*.

[2] Das verliebte Ehepaar *schmatzt* schon die ganze Zeit.

[3] „Das haben ein paar Burschen gehört und haben zu ihr gesagt: »Mutterl«, haben die gesagt, »heute auf die Nacht um zwölf

gehst -

[4] Du zur großen Linde, da setzt Du Dich hin und dann kannst Du mit dem Herrgott *schmatzen* (reden).«[2]

- anglisce: *smack*→*en*, *chomp*→*en*, *champ*→*en*
  - francogallice: *claquer les levres*
  - italice *schioccare le labbra*
  - *hispanice mamullar*→*es*, *chasquear*→*es*
- neograece; platagizo: *ta cheile*:

d.09. m.Mart. a.2024 h.00:14

### Maximilianus Nicolao s.

**Post scriptum:** Nunc (media fere nocte) demum intellego te potius hoc voluisse:

miauen (Katze) *clamare* Friedrich Carl Kraft, Deutsch-Lateinisches Lexikon, Zweiter Theil K-Z, Leipzig und Merseburg 1821 Seite 177 *et sonum miao edere* Suzanne Collins, Die Tribute von Panem auf Lateinisch, De sortibus Pani tributis. Ausgewählt, übersetzt und eingeleitet von Markus Janka und Michel Stierstorfer, Ditzingen 2021 caput 3,1 *et felire* Memento Audere Semper 25,15 *et gemere* Kraft Seite 177 Die Katze miaut. *Felis clamat*. Joh. Amos Comenius, Orbis sensualium pictus, Noribergae 1678 pagina 5 wie eine Katze miauen *vocem felis imitari* Kraft Seite 177 *miau! miao! Rochus Habitzky, Nonnulli apologi Grimmiani, Ruppichterorth 2003 Seite 16 et miao, mio!* Eduardus Bornemann, Petrus Hirrutus, Frankfurt a. M. 1956 3,15.27.37.45. Nunc *vocem felis imitor et tibi "miao" dico et cubitum facesso. :-)*

**Vale multum!**

d.09. m.Mart. a.2024 h.12:54

### Nicolaus Maximiliano s.

GRATIAS PLURIMAS! MODO ALTERUM NOMEN QUAESIVI EX TE  
(*schmatzen* Latinê quid est?) VALE SEMPER. NIC.



d.09. m.Mart. a.2024 h.10:04

**Salve, Nicolae.**

Dies ambulationum Augustanarum rursus inspiciens me in errorem lapsum esse animadverti. Pro die Veneris, 22. die mensis Iunii scribendum est die Saturni, 22. die mensis Iunii Tolle et corrige istud mendum, quaeso, antequam Epistulam Leoninam edes. Veniam tuam peto. **Vale multum!**

d.09. m.Mart. a.2024 h.12:58

**Nicolaus Maximiliano s.**

IAM CORREXI, CARE MAXIMILIANE. VALE! NIC.

d.10. m.Mart. a.2024 h.12:43

**Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit et pulchram dominicam exoptat.**

Ad vocabulum, quod est "schmatzen" in vocabulario meo non multa inveni.

**schmatzen** *diductis labiis porcorum mandentium sonos imitari* Friedrich Carl Kraft, Deutsch-  
lateinisches Lexikon, Zweiter Theil K-Z, Leipzig und Merseburg 1821

**schmatz!**

**1. (Essen)** *scrunc!* Asterix Orientalis, in Latinum convertit Rubricastellanus, Stutgardiae MCMLXXXVIII paginae 13.29.48 Asterix et Maestria, in Latinum convertit Rubricastellanus, Stutgardiae MCMXCII pagina 15

**2. (Kuss)** *shmac!* Asterix in Hispania, in Latinum convertit Rubricastellanus Stutgardiae MCMLXXXVII pagina 24

**gütlich schmatzen** *permulta salivatione sibi suaviter facere* Maximilian Schön

composui ex *salivatio* CAEL. AVR. acut. 3,2,7 et *sibi suaviter facere* PETRON.71,10

**Schmatz nicht so!** *Ne salivatione / saliva spurca tam turpiter comedas!* Maximilian Schön cf. CAEL. AVR. acut. 3,2,7

**abschmatzen** *dissaviari* CIC. epist. 16,27,2 *consaviari* APVL. met. 2,13,5 *perbasiare* PETRON. 41,8 *consaviare* APVL. met. 6,22,2

**Vale multum!**

d.10. m.Mart. a.2024 h.21:32

**Nicolaus Maximiliano s.**

Gratias pro labore exanclato! Patet praeberi aut circuitiones verborum aut onomatopoeica temerariê conficta. Scilicet talia non sufficere. Sed bene fecisti quod ea quae apud neolatinos auctores usque nunc indicantur collegisti. Quia lexica et versiones Latinas bene novisti, permittas, quaeso, ut alia quoque ex te quaeram:

1) Verbum theodiscum, q.e. *Stolz*, est ambiguum: pro contextu est aut bona qualitas aut mala, non semper est peiorativum.

E contrario "SUPERBIA", "superbus", "superbire" ferê semper est significationis peiorativae. Perpaucos locos invêni, ubi SUPERBIA valet qualitatem bonam.

Hac de causâ interdum difficile est verbum theodiscê, q.e. "stolz/Stolz latino verbo exprimere:

e.g. Er ist stolz auf seine guten Noten.

Die Eltern sind stolz auf ihre Kinder, die alle beruflich erfolgreich sind.

Interdum fortasse adhibere licet verbum gloriandi:

Puer gloriatur/superbit de notis suis bonis.

Parentes gloriantur/superbiunt de liberis suis, qui omnes professionem assecuti sint prosperrimam.

Cicero dicit *gloriosior de aliquâ re*. Sed gloriari habet etiam sensum aliquatenus peiorativum. Invenitur etiam *spiritus gerere* - quae locutio etiam videtur esse sensûs potius peiorativi. Quid tibi videtur? *Gloriari* iam inest ThLL, sed *superbire* nondum est.

**Vale semper, NIC.**

d.10. n.Mart. a.2024 h.22:14

**Salve, Nicolae optime**, vocabulorum indagator indefesse! Quidni simpliciter "aliqua re laetari"? Praecipuum auctorem afferre possum. Confer, quaeso, CIC. rep. 1,65: " ... populus interfecit aut eiecit tyrannum ... et sua re gesta laetatur." Nam tyrannum interfecisse aut eiecisse res bona est et populus iure laetatur. **Quiesce hac nocte placido sopore securus!**

d.10. m.Mart. a.2024 h.23:57

**NICOLAUS MAXIMILIANO SUO S.**

GRATIAS PRO RESPONSO PROMPTO. VERBUM LAETANDI INTERDUM ALIQUATENUS QUADRAT, SED GENERALITER NON SUFFICIT AD VIM VERBI THEODISCI "STOLZ SEIN" EXPRIMENDAM. PERGAMUS QUAERERE. **VALE SEMPER, BENE DORMI. MEDULLITUS NIC.**

**NAEVIUS SARTORIUS**

d.01. m.Mart. a.2024 h.15:35

<https://www.youtube.com/watch?v=-sCwsthEecM> Erzieherin klärt auf! "Masturbationsräume in Kindergärten" 29.02.2024 [DEUTSCHLAND](#)

**NICOLAUS NAEVIO S.**

IN NEPIAGOGIIS INSTRUUNTUR CELLAE MASTURBATORIAE – QUID TIBI VIDETUR? **VALE, NIC.**

d. 01. m.Mart. a.2024 h.16:54

**Naevius Nicolao s.**

Odiöse! Admiror spiritum illius puellae insaniam vituperantis! **Vale, N.**

d. 01. m.Mart. a.2024 h.16:54

**NICOLAUS NAEVIO S.**

QUO USQUE TANDEM? SUNT CERTI DENIQUE FINES ! TOTUM SYSTEMA CIVITATIS PROFUNDAE EST INSANISSIMUM!!! QUI VOLUNT REPERE IN INFANTULORUM CEREBRA EOSDEMQUE A PARENTIBUS ABALIENARE, VOLUNT HOMINIBUS RAPTARE INDIVIDUALITATEM ET TRADITIONEM ET CULTUM CIVILEM, VOLUNT MUNDUM FACERE INGENS ERGASTULUM, I.E. CARCEREM SERVORUM. **VALE, NIC.**

d.03. m.Mart. a.2024 h.08:23

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Care Nicolae, me dolet quod otium heri mihi non fuit; condicio socrus non optima est; quamobrem Tremoniam profecti sumus et acroasis tuae particeps esse non potui. Publicabisne textum in epistula proxima? **Vale semper VN**

d.06. m.Mart. a.2024 h.13:53

<https://pravda-de.com/world/2024/02/28/86867.html> *Welt* 28.02.2024, 15:09 OFFENER BRIEF VON BJÖRN HÖCKE AN OLAF SCHOLZ

**SODALIBUS S.**

De hac epistolâ apertâ URSI PENESTICI politici Factionis Alternativae ab adversariis daemonizati, a sociis praedicati, quid vobis videtur? Scribite mihi quidquid in buccam vobis venerit! **Valete semper, NIC.**

d.06. m.Mart. a.2024 h.16:45

**NICOLAUS NAEVIO S.**

QUID TIBI VIDETUR DE EPISTULÂ APERTÂ QUAM **OLAO OBLIVIOSO** SCRIPSIT **URSUS PENESTICUS**? IUDICA DE ARGUMENTO URSI DEQUE VERSIONE MEÂ. VALE SEMPER, MI CARE SARTORI: **MEDULLITUS NICOLAUS LEO LATINUS.**

d.06. m.Mart. a.2024

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Epistula commovens; recte Ursus vidit periculum summum belli mundani novi. Si Germania mitteret talia missilia automaticae volentia [quae Anglice "cruise missiles" appellantur], Russia responderet vi militari, ut timeo. Securitas nostra periret, liberi nostri amitterent fundamentum vitae felicitatis. Orbis terrarum mutaretur in locum horroris et terroris. Propaganda antirussica - quam iam initio belli in Ucraina observare potuimus - auferretur. Oeconomia collaberetur. Europa arderet. Numquam fiat!

d.06. m.Mart. a.2024

**Nicolaus Naevio s.**

Assentior tibi ex animo et doleo, quod verisimile est hanc epistolam *Ursi* benevolentem a diurnariis vix respici et *Olaum* ipsum parum commovere - sed quis scit - interdum fiunt etiam miracula. Ceterum historiographi futuri - si qui erunt - fortasse hac epistolâ Penestici lectâ invenient eundem non fuisse tantum diabolum, quantum esse a diurnariis non desinit describi. - In appendice invenies epistolam quam praeparavit, sed nondum misit (ne eandem monstres aliis, quaeso) *Radulfus Petrus* dermatologus quondam et centurio militiae foederalis, quocum commercium habeo litterarum. Quid tibi videtur de argumento huius epistolae? **Vale semper, NIC.**

d.08. m.Mart. a.2024 h.12:32

<https://www.welt.de/politik/deutschland/article250408262/Abhoeraffaere-Werde-niemanden-meiner-besten-Offiziere-Putins-Spielen-opfern.html>

**NICOLAUS NAEVIO S.**

SUNTNE OMNES POLITICI, OMNES DIURNARII MENTE CAPTI?  
VOLUNTNE TAURUM MITTERE IN PONTEM CHERSONESI TAURICAE?  
VOLUNTNE PUTINUM MITTERE PUGIONEM IN SCHROBENHUSAM  
OPPIDULUM BAVARIAE AMOENISSIMUM? VOLUNTNE REVERA CUM  
RUSSIA BELLUM GERERE? VOLUNTNE BELLUM, QUO FINITO  
SUPERSTITES INVIDEBUNT MORTUIS??? **VALE, NIC.**

d.10. m.Mart. a.2024 h.11:41

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nach hoeren/politik-und-zeitgeschehen/die-sonntagsrunde/die-sonntagsrunde-mit-burkhard-mueller-ullrich-ramadan-gegen-antisemitismus#id-article> Die Sonntagsrunde mit Burkhard Müller-Ullrich: Ramadan gegen Antisemitismus [Burkhard Müller-Ullrich](#) im Gespräch mit [David Boos](#), [Harald Martenstein](#) und [Silke Schröder](#)

**Naevius Nicolao s.**

Placet ille *Martenstein*, perplacet illa *Schröder*; videtur esse femina in principia fidelis, prudens et fortis. Etiam diligo virtutem et leporem illius *Boos*! **Vale, N.**

d.10. m.Mart. a.2024 h.17.44

**Nicolaus Naevio s.**

Assentior tibi gaudens de consensu nostro. Nonne tibi etiam placet colloquium quod sequitur: <https://www.youtube.com/watch?v=PiGc5NwyOXo> Sarrazin/Kelle/Schuler/Krall - MORAL ALS KEULE **Vale semper, NIC.**

d.10. m.Mart. a.2024 h.21.15

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Studebo spectare serius. Ceterum, inveni in fabula nota et optima "Mephisto" illius Nicolai Mann partem, quam dicam descriptionem primam *culpa contagionis*. Certe scis fabulam et textum eius. Iste Hendrik Höfgenius, histrio excellentissimus, sed etiam opportunistam maximus, qui serius collaborabit cum nacistis, colloquitur cum uxore sua de Nacistis (Nazis) anno MCMXXXII. Causa colloquii coniugalis est hoc: Uxor eius, Barbara, nonnumquam solet colloqui cum Hans Miklas; ille Miklas etiam est histrio; est collega illius Höfgen in theatro; est sodalis factionis Nacistorum. At Hendrik est socialista, condidit "theatrum seditiosum" (revolutionäres Theater) - et statuit se maxime despiciere illum Miklas et factionem Nacistam. Barbara certe non probat locum politicum illius Miklas - Barbara est libertatis amans -, sed cognoscere vult cur Miklas assectator istius "ducis" sit. At Höfgen maxime indignatur de colloquiis illis uxoris. Ei - ira incensus - haec dicit modo histrionis, scaenomanici [Nicolaus Mann scaenam illam revera optime scripsit]:

*"Barbara indessen hatte mit Hendrik eine schlimme Szene. Höfgen tobte: nicht aus »kleinbürgerlicher Gatteneifersucht« – wie er betonte–; vielmehr aus politischen Gründen. »Man sitzt nicht mit einem Lumpen von Nationalsozialisten den ganzen Abend an einem Tisch!« rief er,*

bebend vor Zorn. Barbara versetzte, daß, ihrer Ansicht nach, der junge Miklas kein Lump sei – woraufhin Hendrik schneidend versetzte:

»Alle Nazis sind Lumpen. **Man beschmutzt sich, wenn man sich abgibt mit einem von ihnen.** [Eis verbis Höfgenius quasi invenit "culpam contagionis"!] Ich bedaure, daß dir hierfür das Verständnis fehlt. Die liberalistischen Traditionen deines Hauses haben dich verdorben. Du hast keine Gesinnung, sondern nur eine verspielte Neugierde.« Er stand sehr aufrecht mitten im Zimmer; seine streng dozierenden Worte begleitete er mit ruckhaften, eckigen Bewegungen der Arme.

Barbara sagte leise: »Ich gebe es zu – der Junge tut mir ein bißchen leid, und er interessiert mich ein bißchen. Er ist krank und ehrgeizig, und er hat nicht genug zu essen. Ihr behandelt ihn schlecht – du, deine Freundin Herzfeld, und die anderen. Er sucht etwas, woran er sich klammern und aufrichten kann. So ist er zu diesem Wahnsinn gekommen, den er jetzt so stolz seine Gesinnung nennt...«

Hendrik mußte höhnisch durch die Nase lachen. »Wie viel Verständnis du aufbringst für diesen Lauseker! Wir behandeln ihn schlecht! Das ist köstlich! Wenn ich dergleichen nur höre! – Hast du denn keine Vorstellung davon, wie er und seine Freunde uns behandeln würden, wenn das Pack an die Macht käme?!« Hendrik – den Oberkörper vorgeneigt, die Arme in die Hüften gestemmt – fragte es mit wütender Eindringlichkeit.

Barbara sagte langsam, ohne ihn dabei anzusehen: »Gott verhüte es, daß diese Irrsinnigen jemals die Macht bekommen. Ich möchte dann nicht mehr leben in diesem Lande.« Sie schüttelte sich ein wenig, als spürte sie jetzt schon die ekelhafte Berührung der Brutalität und der Lüge, die in Deutschland herrschen würden, wenn die Nazis herrschten. »Die Unterwelt,« sagte sie schauernd. »Es ist die Unterwelt, die da nach der Macht verlangt...«

## **Quid sentis? Vale semper VN**

d.17. m.Mart. a.2024 h.15:10

Sonntag, 17. März 2024, 5:05 Uhr (Wdh.07:05, 08:05, 09:05, 14:05, 19:05) Die Sonntagsrunde mit Burkhard Müller-Ullrich: Staatsschutzrelevante Schlümpfe [Burkhard Müller-Ullrich](#) im Gespräch mit [Frank Wahlig](#), [Dirk Pohlmann](#) und [Dieter Stein](#)

## **NAEVIUS NICOLAO S.**

Colloquium sane iucundum. Ille *LAPIS* et ille *Pohlmann* de re gravissima locuti sunt: Potestne Germania esse independens in ratione politicae externae? Potestne Germania Confoederationem Heleveticam secundam fieri, rem publicam neutralem, rem publicam suae potestatis – vel semper dependens erit ex USA? Hoc est, ut opinor, dilemma quasi perennium Germanum. \*\*\* Ceterum, novistine iam colloquium hoc? <https://www.youtube.com/watch?v=18Ef8nEeBOK> Certe iucundum est, certe Schroeder in primo non iniucundus est (estne hypocrita?). Sed arrogantia eius – quae interdum observari potest – mihi displicet, multa argumenta eius puto esse non gravia. At indignor de eo untente termino "Nacistae" in sensu sane arbitrario. Statuit sibi placere electores Alternativorum dicere "Nacistas". Hoc est methodus inepta, iniusta. Certe scit "termino" illi esse connotationes horribilissimas historicas. Cur ergo ei placet uti termino eo? - Quamobrem nonnumquam puto colloquium inter sinistros et conservativos honestum fere impossibile esse. Si semper pugna pugnatur de terminis, si assectatores istius Schroeder putant eum solum *vi terminorum* vicisse Iulianum in re (legas commentarios, *velut "Diese Beleidigungen in Metaphern gegen Reichelt waren 11/10. Chapeau!"*), valde timeo ne numquam perveniamus ad ea quae Anglici solent dicere "common ground". Quid tibi videtur?

## Medullitus et sceptice te salutat Naevius

d.22. m.Mart. a.2024 h.16:26

<https://berlin247.net/read/1707828604/1101> Wagenknecht kritisiert Kiesewetter: „Er scheint nicht alle Tassen im Schrank zu haben“

**NAEVIUS NICOLAO S.**

*Sahra est femina rationis. Iste Rodericus videtur se Napoleonem novum habere...*  
[https://de.wikipedia.org/wiki/Russlandfeldzug\\_1812](https://de.wikipedia.org/wiki/Russlandfeldzug_1812) Insula *Sanctae Helenae* iam expectat istum mente captum, in summo delirio magnitudinis versantem. **VALE, N.**

d.22. m.Mart. a.2024 h.20:29

<https://www.reisetraavel.eu/berlin-intern/special/auszeit.html>

**NICOLAUS NAEVIO S.**

Istius caldicerebrii insania mihi videtur valde periculosa esse patriae nostrae.  
 Ceterum - vix credibile - iste instigator belli furiosissimus scribit carmina...  
*Rodericus est poeta lyricus -- Num fiet alter Ernestus Jünger? "lyrische Schlagkraft"???* **Vale semper, N.**

d.22. m.Mart. a.2024 h.21:57

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Illi *Jüngerio* erat ingenium scribendi quod iste Rodericus numquam habebit.  
 Ceterum, novistine illum PG Wodehouse [https://de.wikipedia.org/wiki/P.\\_G.\\_Wodehouse](https://de.wikipedia.org/wiki/P._G._Wodehouse) invenisse "*Rodericum*" *Spode*, depravatam imitationem istius "ducis"? <https://www.youtube.com/watch?v=JYWRu8uT8z8> **VALE, N.**

d.24. m.Mart. a.2024 h.13:27

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nach hoeren/politik-und-zeitgeschehen/die-sonntagsrunde/die-sonntagsrunde-mit-burkhard-mueller-ullrich-nicht-straftbar-aber-doch#id=article> Sonntag, 24. März 2024, 5:05 Uhr (Wdh.07:05, 08:05, 09:05, 14:05, 19:05) Die Sonntagsrunde mit Burkhard Müller-Ullrich: Nicht strafbar, aber doch [Burkhard Müller-Ullrich](#) im Gespräch mit [Thomas Fasbender](#), [Birgit Kelle](#) und [Roger Letsch](#)

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Illa *Kelle* perplacet. Clarissime videt et vituperat contradictiones [politicas et morales] aetatis nostrae. **Vale, N.**

d.24. m.Mart. a.2024 h.18:26

**NICOLAUS NAEVIO S.**

REVERÂ BIRGITTA BENE ET FORTITER SENTENTIAS SUAS DEFENDIT. SED DOLEO EAM VEHEMENTER ERRARE IN REBUS ISRAELIANO-GAZETICIS. CUM SIT - qualis etiam maritus eius - sit sedulê transatlantica - non videt aut videre non vult quanta iniuria inferatur Palaestinis - et stupendâ cum caecitate defendit Israelianorum rabiem genocidialem immisericordem, quae Americanis adiuvantibus non finitur nisi gente Palaestinatorum aut erit fugata aut exstirpata. Tragicum est tam strenuam defenstricem humanitatis (fortissimam vituperatricem *genderismi* et *maternitatis conducticiae*!) qualis est *Birgitta Kelle*, tam caecê tamque stupidê iudicare de zionistis phyletistis immisericordibus deque

genocidio Palaestinorum. Ceterum eadem etiam putat *Putinum* esse dictatorem tyrannicum (aetate 9 annorum cum matre vênit ex Dacoromaniâ, terrores socialismi adhuc bene recordatur nec vacua est a russophobiâ). E contrario *Thomas Röper*, qui ex 20 ferê annis *Petropoli* vivit et de Russiâ nuntiat, multa bona de *Putino* dicit et suspicatur *Sutorem Equestrem* a quodam officio Britanniae secreto mercedem accipere relationum de *Putino* quam pessimê scriptarum.... Uter horum rectê de *Putino* iudicat: *Thomas* an *Boris*? Fortasse veritas est in medio loco - non ausim definitivê iudicare. Sed *Sutor Equestris* optimê refert de rebus Germaniae internis et socialibus... *Röperus* multos nuntios Russicos theodiscê redditos nobis praebet.... Nullus est perfectus, unus haec, alter illa habet meliora. Haec hactenus, mox plura. Reverâ non omnes critici gubernationis nostrae sunt vacui ab omni errore. Qui de coronâ rectê iudicavit, fortasse falso iudicat de Ucrainâ aut de Israele Gazâque. Non omnes de omnibus falso neque omnes de omnibus rectê iudicant. *Errare humanum est* ... Haec hactenus, mox plura. Utinam septimana proxima tibi fiat iucunda et fructuosa ... **Vale semper, NIC.**

d.24. m.Mart. a.2024 h.19.46

### **NAEVIUS NICOLAO S.**

Recte, nemo statuere potest se summam veritatem habere. Non ignoro illum sutorem equestrem non amare Putinum; multos annos ante audivi acroasin eius in Augusta Vindelicum; tum tam acriter contra Putinum locutus est, ut iam tunc suspicatus sim eum accipere pecuniam ab Americanis. Sed hoc est solum suspicio, fortasse suspicio sane iniusta. - De Putino, de Russia omnino iudicare sane difficile est. Russia – hoc est terra ingens. Russia – hoc etiam est populus valde religiosus, saepe superstitiosus; Russia erat et, ut audeo dicere, adhuc est autocratia. Russi semper subiecti erant: subiecti isti "catervae aureae" (Золотая Орда – „Goldene Horde“), tum caesaribus (Zaren) russis, postremo communistis. Servitus (Leibeigenschaft) in Russia demum anno MDCCCLXI abolita est. Res publica Russica numquam in historia civitas, numquam democratia erat; quamobrem puto multos Russos democratiam non diligere. Ille populus – semper putans multas res fatales esse (recordare figuram "Oblomov" illius Gontscharovii notam!) – amat principem fortem, amat duci.

**Haec raptim, vale semper VN**

d.25. m.Mart. a.2024 h.23:07

### **NICOLAUS NAEVIO SUO SAL.PL.**

GRATIAS PRO NUNTIO RADIOPHONIAE MONACENSIS MIHI MISSE !  
**PAULUS CLAMATOR** AUCTOR ET DIURNARIUS MIHI SCELERA  
 CORONARIA VIDETUR INVESTIGARE STUPENDO CUM ACUMINE MENTIS  
 ET PERSEVERANTIÂ. UTINAM CLAMATOR ETIAM ID ASSEQUATUR, UT  
 VERBA PROTOCOLLI OBSCURATA ILLUMINENTUR!!!  
**VALE SEMPER, NIC.**



d.25. m.Mart. a.2024 h.23:15

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Gratias tibi ago. Rectissime! Ille clamator vir fortis, pertinax est. Utinam mox possimus legere partes obscuratas istius protocolli! **VALE, N.**

d.26.m.Mart. a.2024 h.19:53

**NICOLAUS NAEVIO SUO SAL.PL.**

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/lauterbach-dahmen-rki-corona-pandemie-ampel-politik/> CAROLA CALLIODON ("*die Zahnfee*") est MINISTER SANITATIS OMNIUM INSANISSIMUS QUI PROPTER ABUSUM METHADONI CRYSTALLINI DENTIBUS INSTRUCTUS EST OMNIUM CARIOSISSIMIS  
*NOTA BENE:* QUODCUMQUE SCELUS GUBERNATIO NOSTRA COMMISIT - CULPAM CONTRAXIT SEMPER PUTINUS !!! **VALE SEMPER, N.**

d.26. m.Mart. a.2024 h.19:59

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Ille est incredibiliter mente captus, mendacissimus! **VALE, N.**

d.28. m.Mart. a.2024 h.13:22

Bielefeld / 29.07.2021 <https://www.youtube.com/watch?v=xhFNEOGhdVw> Legendäres Streitgespräch | Bodo Schiffmann | Ralf Ludwig | Samuel Eckert & Wolfgang Greulich

**NICOLAUS NAEVIO S.**

ECCE COGITATORES TRANSVERSALES - EXCLUSI FUGATI DIFFAMATI EXPROPRIATI IN CARCEREM CONIECTI QUIBUS GRATIAS DEBEMUS QUIA IN TENEBRIS FORTITER TULERUNT LUCULAM VERITATIS ET LIBERTATIS. SI IN GERMANIÂ RESTITERUNT 50 IUSTI, EADEM DIGNA EST CUI A DEO PARCATUR - LEGE VERBA MARTINI NIEMÖLLER (1892-1984):

Cum nacistae abducerent communistas, ego tacui; nam ego non eram communista. Cum abducerent syndicales opificum, ego tacui, nam ego non eram syndicalis opificum. Cum abducerent Iudaeos, ego tacui, nam ego non eram Iudaeus. **Cum abducerent me ipsum, nemo iam fuit, qui posset reclamare. -**

*Martin Niemöller (1892-1984)* fuit Germanus parochus Lutheranus illustris. Qui cum apertê vituperaret *Adolfum Hitler*, ultimos septem annos dominatûs socialismi nationalis degit in ergastulis concentrationis. Nondum oblivione obruta sunt eius verba „*Cum nacistae abducerent communistas, tacui... eas.*“, quae scripsit bello finito. **VALE SEMPER, NIC.**

d.01. m.Apr. a.2024 h.16:23

<https://opposition24.com/politik/austritt-aus-der-afd-die-vollstaendige-erklaerung-von-mdb-thomas-seitz/#comment-17878>

**NICOLAUS NAEVIO SAL.PL. S.V.B.E.E.V.**

Utinam tu cum tuis dies Paschales degas recreabiles. Certê multa sunt in mundo odiosa et iniucunda, immo terribilia - sed non credo eum umquam sanum fuisse.

Mythos aetatis aureae est quidem delectabilis et incitat nos ad hominum vitam atque indolem considerandam, sed vix credibile est talem aetatem umquam exstitisse.

Tamen iuvat et delectat diebus festis corpus et animam recreare.

Utinam socrus tua chemotherapiam passa saltem sit condicione aliquatenus tolerabili et vacet a doloribus. Scilicet mihi a te de eius morbo repentino certiori facto statim in mentem venisse pseudovaccinationem illam fatalem. Scisne quoties socru tuae iniecta sit acus syringae pseudovaccini plenae? Sed nolo praeproperê opinari et concludere.

Certê interim legisti nuntium de *Pauli Clamatoris* querelâ fructuosâ deque protocollo *Instituti Roberti Coqui* verbis denigratis abundantissimo. Quid tibi videtur? Meâ quidem sententiâ hîc protocollo ad veritatem adductae sunt opiniones cogitatorum transversalium crassissimae. Haec hactenus de rebus pseudopandemicis.

--- Addo ea quae *Thomas Seitz* declarat de causis, quibus se a factione Alternativâ abdicaverit. Eius orationes in Conventu Foederali habitas maximam partem comprobaveram, îdem mihi videbatur esse bonus defensor rei alternativae. Scilicet nocere eius abdicationem Alternativis, et nocere talem declarationem accusationibus abundantem. Vides etiam *Aliciam* non omnibus collegis placere; scilicet etiam huic factioni recentiori inesse *Livorem edacem* et simultates nimis frequentes. Sed quid exspectaverat, quid postulaverat *Thomas* ante decem ferê annis cooptatus? Ut omnes sodales huius factionis essent angeli et sancti omnium vitiorum expertes?

Etiamsi omnia opprobria *Thomae* in hac declaratione allata vera sunt, mihi quidem non videntur satis causae esse, ut *Thomas* isto in statu rei publicae et patriae et societatis fatali et maximê deplorabili tanto cum strepitu se abdicaverit ab unicâ oppositione verâ. Quid tibi videtur? Estne iste *Thomas* zelator hypermoralis an hypocrita et lucripeta spe deceptus desiderioque ulciscendi affectus?

Haec hactenus de *pseudopandemiâ* deque *Thomâ Alternativo Apostatâ*. Vale semper basilicê et pancraticê, mi Naevi carissime. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.01. m.Apr. a.2024 h.18.27

**NAEVIUS NICOLAO suo s.pl. dicit,**

Gratias summas tibi ago. Dies Paschales sunt paulum recreabiles. Visitavimus soceros. Socrus mea inoculationes accepit, sed quales sint causae morbi eius dicere nescio; ceterum, ea iam multos annos laborat sclerosi multiplici. Pater meus nonnullos annos ante cancro mortuus est; etiam mater mea cancro mortua est, LIV annos ea non complevit. Pater fuit athleticus (longe athleticior filio suo!). Cur parentes cancerum contraxerint adhuc nescio. Cancer est, ut opinor, res fatalis.

Certe legi de illo *Clamatore* optimo! Perplacet.

Quod attinet ad illum *Seitz*, haec dicere velim: Alternativi capita prudentiora, deputatos oratoresque meliores habere videntur. Sed adhuc solum partem parvam eorum aspicere possumus in theatro cottidiano consilii foederalis; certe videmus spectaculum sane bonum ab Alternativis datum; id etiam est momenti politici cuiusdam, sed id quod dicam politicam realem, imprimis post frontes consilii fit. Et

de illa politica reali in commissionibus parvis (*Ausschüssen*) tractanda, in congressibus privatis adhuc paene nihil scimus. Etiam nescimus, quomodo Alternativa, si rem publicam gubernaret, munus suum gereret; nescimus quomodo factio cresceret; nescimus quales pugnae internae pugnarentur; nescimus quales pugnae iam eo tempore in factione pugnarentur. Sed, ut ausim dicere, certê pugnarentur! Respicere debemus etiam legem aeternam historicam sociologicamque factionum: Si habent potestatem politicam, eam retinere multis – ne dicam: omnibus – opibus volunt. Etiam puto id necessarium esse, aliter factio quaecumque nihil movere potest. Sed quamobrem semper periculum est ne potestas retinenda finis solus, finis summus factionis cuiuscumque fiat – factione fines politicos in re negligente. Lex eadem etiam valet intra factionem; principes factionis semper potestatem suam ab impetibus aemulorum defendere debent.

Id iam dixi, id denuo dicam „*petrificationem politicam*”, quae eo tempore in factionibus aliis optime observari potest - et in aliis apparatibus velut ecclesiis nostris. Ille *Nietzsche* multos anno ante petrificationem eam optime descripsit: "*Personenwechsel. Sobald eine Religion (adicere volo: „oder Weltanschauung oder eine bestimmte Politik“) herrscht, hat sie alle die zu ihren Gegnern, welche ihre ersten Jünger gewesen wären.*"

[http://www.zeno.org/Philosophie/M/Nietzsche,+Friedrich/Menschliches.](http://www.zeno.org/Philosophie/M/Nietzsche,+Friedrich/Menschliches)

[+Allzumenschliches/Erster+Band/Drittes+Hauptst%C3%BCck.+Das+religi%C3%B6se+Leben/118.+Personenwechsel](#)

Fortasse ille *Seitz* est idealista nimis simplex, qui observavit illam progressionem in factione Alternativa fieri; fortasse illa petrificatio iam sane magna facta est. Structuram internam factionis Alternativorum nescimus, catervas in factione nescimus, naturam Aliciae nescimus. Solum speculari possumus, sed - ut bene scis - speculari nolo: Nihil prodest. Adhuc solum scimus Aliciam oratricem optimam esse, analyses bonas facere, optime disputare scire, locum oeconomicum sanum habere. Sed paene nihil scimus de ea factionem ducente. Quamobrem de ea re *Seitziana* iniucunda iudicare non possum, iudicare nolo. Sed certe melius fuisset, si *Seitz* tacuisset et clandestine abdicavisset. **Medullitus te salutat VN**

d.02. m.Apr. a.2024 h.18:14

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Compilatio excellentissima („*Vos participastis!*“, v. *supra*)! Videmus multa emetica horribilissima velut *Mai Thi Nguyen-Kim* et istam *Pyxidem*. **VALE, N.**

d.02. m.Apr. a.2024 h.19:18

**NICOLAUS NAEVIO S.**

ISTA PUELLA STIRPIS ANNAMITICAE INGENIUM SUUM NIMIS MAGNI AESTIMANS QUONAM MODO NUNC MENDACIIS CORONARIIS ET PSEUDOVACCINATORIIS FERÊ OMNIBUS PATEFACTIS AUDEAT CORAM PUBLICO LOQUI? NONNE OPORTET ISTAM AUDITORES SUI QUAM MODESTISSIMÊ ROGARE, UT SIBI IGNOSCANT? AN POTIUS OPORTET

ISTAM PUELLAM CAUSAM DICERE? - ETIAM MULTO NOCENTIOR MIHI VIDETUR ESSE *HELENA PYXIS* - QUAM APPELLEM PYXIDEM PANDORAE. ISTA VERISSIMÊ MERITA EST IN IUS VOCARI IDQUE SEVERISSIMÊ! QUID SENTIS? VALE SEMPER, NIC.

d.02. m.Apr. a.2024 h.19:26

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Excuses menda mea. Nomen istius excetrae est "*Helena Pyxis*". Certe nocentior erat - tempore coronario munere publico fungebatur et adhuc fungitur. Ea contraxit culpam moralem, sed non video culpam criminalem. Quamobrem non accusabitur. VALE, N.

d.02. m.Apr. a.2024 h.19:24

**NICOLAUS NAEVIO S.**

Quid tibi videtur de hōc commentario *Marci Haintz* patroni Ulmensis? Vale semper, NIC. <https://haintz.media/artikel/kommentar/willkuerliche-ffp2-maskenpflicht-wiederaufnahmeverfahren-muessen-folgen/>

d.02.m.Apr. a.2024 h.19:32

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Expertus iuris criminalis non sum; hic potes legere illam normam de qua ille *Haintz* loquitur; spectes partes russatas. Fortasse restitutio possibilis est. VALE, N.

d.04. m.Apr. a.2024 h.11:38

<https://www.n-tv.de/politik/Bericht-AfD-Mann-Petr-Bystron-reiste-heimlich-nach-Belarus-article23901395.html>

**NICOLAUS NAEVIO SUO S.**

SI VERUM EST SIVE FALSUM - NOVUM DAMNUM ALTERNATIVAE. "CORRECTIVUM" DENUO ALTERNATIVAM VENENO SUO CONTAMINAVIT. QUID SENTIS, CARE NAEVI? VALE SEMPER, NIC.

d.04. m.Apr. a.2024 h.12:06

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Si hoc est verum, illa causa *Bystronii* infelix est. *Petrus Bystron* rem suam imprudenter egit. Certe non ignorat hoc esse problema iuridicum et politicum. VALE, N.

d.05. m.Apr. a.2024 h.22:07

**NICOLAUS NAEVIO SUO S.**

QUID TIBI VIDETUR? ASSENTIRISNE *VOLFGANGO HÜBNER*? AN DISSENTIS AB EODEM? VALE SEMPER, NIC.

d.05. m.Apr. a.2024 h.22:57

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Non omnia de ea causa *Bystronii* scio, sed cursus actionis *Aliciae* et *Chrupallae* mihi non optimus esse videtur. Denuo *Alicia* fecit id quod ille *Kubitschek* - in causa

*Hartwigii* - sic descripsit: "*Weidels Entscheidung ist Altparteiverhalten und hat dem Gegner Munition geliefert.*" **VALE, N.**

d.06. m.Apr. a.2024 h.14:00

**NICOLAUS NAEVIO S.**

Agitur secundum proverbium illud q.e. CALUMNIARE AUDACTER SEMPER ALIQUOD HAERET ! Sed quid de *Maximiliano Krah*? Quare praeproperê suadet *Petro*, ut abstineat a munere suo gerendo, usque dum crimen sit refutatum? Vultne *Maximilianus* de medio tollere propriae factionis competitorem molestum?

**Vale semper, NIC.**

d.06. m.Apr. a.2024 h.14.28

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Possibile est. Ut iam scripsi: In causa *Hartwigii* et in illa causa *Bystronii* observare possumus signa petrificationis politicae factionis Alternativae; etiam factio est, in qua homines agunt, in qua competitores inter se pugnant. **VALE, N.**

d.07. m.Apr. a.2024 h.12.56

<https://kontrafunk.radio/de/sendung-nachhoeren/politik-und-zeitgeschehen/die-sonntagsrunde>

Sonntag, 7. April 2024, 5:05 Uhr (Wdh.07:05, 08:05, 09:05, 14:05, 19:05) Die Sonntagsrunde mit Burkhard Müller-Ullrich: Geschlossene ö.-r. Anstalten

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Analyses psycho-politicae excellentissimae, imprimis verba illius *Schuler* placent; assentior! Is scit systemata DDR et BRD, observare poterat homines tunc et nunc. De ea re locutus est, de qua iam saepe disputabamus, de qua ille *Ulfkotte* scribebat, de qua etiam ille *Desmetius* scripsit in "*Psychologia totalitarismi*": totalitarismus est (etiam) effectus ea re quem Theodisce dicam "*Selbstorganisation*". In natura hominis est altus vetusque timor discrepandi, quamobrem semper solet facere id quod alii faciunt. **VALE, N.**

d.08. m.Apr. a.2024 h.11:59

[https://www.youtube.com/watch?v=mzcN\\_atD7Gw](https://www.youtube.com/watch?v=mzcN_atD7Gw) "Landesverräter"- Söder-Beleidigung: Prozess gegen Gerald Grosz

**NAEVIUS NICOLAO S.**

Iocose, sed ille *Geraldus* est scaenomanicus terribilis. Tamen eum diligo. **VALE, N.**



**GERALD GROSZ (\*1977)**

## **RADULFUS BONAEROPOLITANUS**

d.28. m.Febr. a.2024 h.18:48

**NICOLAUS RADULFO SUO TACITURNO SAL.PL.DIC.** s.v.b.e.e.v.

Care Radulfe, iam ex æonibus nihil a te accepi scriptum. Quid fit, quid agitur? Utinam bene valeas! Interimne in patriam tuam revertisti? Quid in Germaniâ expertus es? Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ.

Thema acroaseos meae erit: **NOVIS REBUS NOVA NOMINA** (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni qua par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.02. m.Mart. a.2024 h.00:19

**Radulfus Nicolao s.**

Nicolae mi, gratias ob tuam epistulam, quam legere incepti. Germano itinere valde gavisus sum; res Romanas praesertim in Augusta Treverorum mirati sumus. De aliis rebus, praesertim placuit mihi, qui romanticus sum, terram ubi Romanticismus natus est contemplari ibique viginti dies manere. Urbem Herbipolensem (*Würzburg*) meam spiritualem patriam considero. Patria tua miraculorum plena est. - Acroasis tua certe optima erit. Ei adesse temptabo. - *Marco Cristini* quoddam carmen neolatinum hic editum iam misi. Semper laudo *Maurum Pisini* poetam. Utinam pax servet mundum.

**Tuus, Radulfus**

d.7. m.Mart. a.2024 h.13:56

**Radulfus Nicolao s.**

Carissime Leo Latine, ut scis, numquam tuam scientiam laudare desino. Attamen tibi confiteor me non potuisse omnia scripta "política" (ut ita dicam) legere. Non ignoro magni momenti esse in Gaza conflictum sed longissime a doctrina diaphana de ista re sum. Nuntiis cotidianis de hoc bello (atque aliis) obruor. Quidam forsitan me virum sine erga alios caritate esse sed vires mihi desunt aliis rebus vestigandis (praesertim politicis, quae valde opinabiles sunt). Ut vides, nihil boni in hac brevissima epistula adfero. Denuo laudo te, latinitatis perennis columnen.

**Vale, Radulfus**

d.07. m.Mart. a.2024 h.23:36

**LEO RADULFO SUO S.**

**NON OMNIA LEGI POSSUNT EODEM TEMPORE, MI CARE RADULFE.**



SUNT TEMPORA, UBI GRAVIA LEGERE PARATI SUMUS, SUNT ALIA, QUIBUS EGEMUS HILARIBUS REBUS LEGENDIS. NULLO MODO COGERIS, UT LEGAS RES QUAE TIBI DISPLICENT. IN SYMBOLÂ ELIGENDÂ TIBI EST SUMMA LIBERTAS. CERTÊ ETIAM IN ALIQUO PERIODICO TUI SERMONIS PATRII LEGENDO NON OMNES SYMBOLAS PERLEGIS - NONNE? IAMNE LEGISTI NARRATIUNCULAS PUERI MALE MORATI? IAMNE LEGISTI OMNES FABELLAS GRIMMIANAS QUAS LATINÊ REDDIDI? VALE SEMPER ET VIVE FELICITER, MI CARE RADULFE. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS**

## **URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS**

d.28. m.Febr. a.2024 h.23:26

**NICOLAUS URBANO SUO TACITURNO SAL.PL.DIC.** s.v.b.e.e.v.

Care Urbane, iam ex æonibus nihil a te accepi scriptum. Quid fit quid agitur? Utinam bene valeas! Iamne accepisti Epistulam Leoninam 287? In eius paginâ 5 invenies ea quae *Nico de Mico* secretarius Academiae Latinitati Fovendae scripsit de acroasi meâ die Saturni h.5 p.m. a me faciendâ et per systema ZOOM interretiale transmittendâ. Thema acroaseos meae erit: NOVIS REBUS NOVA NOMINA (agitur de novis verbis Latinis fingendis). Ad hanc acroasin audiendam et spectandam te invito omni quâ par est observantiâ. Bene spero te vacaturum esse d. Saturni h.5 p.m. acroasi meae participandae. Vale semper pancraticê.

**Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.03. m.Mart. a.2024 h.15:19

**Urbanus Leoni Latino salutem.**

Heri, amice, scripsi responsionem tibi. Quoniam vero nescio an responsio ad te pervenerit necne, iterum scribo, ne tibi videaris negligi a me. Epistula Leonina 287 mihi tradita est. - Rogo, ut me a tam longa taciturnitate excuses. Ipsi enim Calendis Ianuariis, iam lucente die, prope horam septimam matutinam, pater correptus est a fluxu sanguinis cerebri. In illo die, frater, qui præsens aderat, illi festinanter succurrit illumque ad valetudinarium adduxit. Denis primis diebus mensis Ianuarii, parentem comitabar in valetudinario. Deinde, posteaquam ille domum rediit, in domo eius quasi domicilium collocavi. Cum parentibus ergo modo sum. - Nunc autem parens loquitur recte, et sine baculo ambulat. Et solus potest aliquas, non tamen omnes res suas curare. Suspicio vaccinum esse non unicam, sed saltem unam ex causis huius mali. Ut iam tibi narravi, post secundam vaccini sumptionem iniectam parens tam fortiter morbo covidiano ægrotavit, ut duodecim dies maneret in valetudinario. Postea vero, neglectis monitis meis ne hoc experimentum denuo subiret, ille, cum iam convalesceret a superiore morbo, ad tertiam vaccini sumptionem sua sponte accedit. Triduo post, duo tumores apparuerunt: alter in summo capite; alter in facie infra oculum dextrum. Multis transactis mensibus, corpus



per se tumores exsorbuit. Adhuc obstinatus, ille recens accedit ad quartam sumptionem, cuius exitum modo conspicimus. - De hoc satis. Heri fere exeunti acroasi tuæ adesse potui. Data oportunitate, ad alias accedam. **Bene vale, amice! Tuosque saluta pro me. Urbanus**

d.04. m.Mart. a.2024 h.00:51

### **NICOLAUS URBANO SUO OPTIMO SAL.PL.DIC.**

Priorem tuam epistulam, mi care amice, videor non accepisse; quod doleo, quia epistulae tuae mihi semper cordi sunt. - Gaudeo et gratulor tibi, quod pater tuus nunc reconvalescit. Sed quodam cum horrore lego de repetitis experimentis eius vaccinatoriis: curnam pater tuus adversus malam experientiam iterum iterumque sivit se imbui isto veneno infernali? Quare non secutus est filii suasionem? - Cottidie lego et audio in ephemeridibus et paginis interretialibus alternativis (quales adhuc - Deo gratias! - quaedam sunt), quot et quanta detrimenta corporis et mentis appareant in hominibus pseudovaccino isto tractatis. Pater tuus estne ab aliquo magistratu minando coactus, ut sineret se veneno imbui? - Equidem toto ex corde exopto, ut quam maturimê forum internationale fiat, in quo omnes accusentur, qui culpam contraxerunt pseudopandemiam fingendo et hominibus inculcando necnon pseudovaccina fabricando et praescribendo, ut adhiberentur. Difficile erit invenire sat multos iudices et patronos et scientistas incorruptos, quibus talis causa anticoronaria fiat ubiquitaria. Sed iuvabit et oportebit, ut ingens istud scelus universale patefiat et puniatur! - Nam alioquin vix ullus homo confidet medicis et scientistis et iurisperitis et politicis. - Haec hactenus, mi care Urbane, sed mox, si volueris, certê plura. His temporibus iniquis et difficillimis oportet omnes homines studia humaniora amplexi vinculo amicitiae coniungantur. - Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Pancraticê vale et perge nobis favere. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

### **GUSTAVUS TAVARES BRASILIANUS BELLIHORIZONTENSIS**

d.08. m.Apr. a.2024 h.16:11

#### **Gustavus Nicolao Leonino ceterisque sal.**

Pergrate perquam opportune fecisti, Nicolae spectate, quod falsam rei opinionem quâ hodieque tenebar scite evellicasti! Me enim id omnino fugiebat toto (ut aiunt) caelo errantem, qui falso edoctus versiculum illum celeberrimum Vesalio alias optime de anatomes disciplinâ merito tribuendum existimarem. Nec mirum, cum apocrypha (iuvenilia?) Vergiliana non nisi leviter attigerim. **Vale et valet Dabam Bello Horizonte, VI Id. April., anno MMXXIV.**

d.08. m.Apr. a.2024 h.18:33

#### **Nicolaus Gustavo ceterisque s.**

Gaudeo quod mihi contigit, ut tibi aliquid novi et scitu digni afferrem.---

Ceterum diffido illis philologis, qui infirmis tantum argumentis usi negent ullum carmen (perpaucis exceptis) APPENDICIS VERGILIANAE reverâ esse ab ipso Vergilio scriptum. Ut exemplum afferam: Ex longo iam tempore mihi persuasum est CARMEN AETNAE esse verê Vergilianum, sed textus traditione corruptissimâ atque intricatissimê perdifficile (sed nequaquam impossibile) esse vestigia poetae praeclarissimi investigare. *Vergilius* 20 annos natus discipulus *Sironis* philosophi Epicurei in Siciliâ versatus est ut *Aetnam montem ignivomum* perscrutatus pangeret hoc carmen didacticum. - Quid tibi, quid vobis videtur? Mavultisne sequi philologorum recentiorum *communem opinionem* quam meam? In memoriam vobis revoco verba LIVII (lib.21): *Sed, ut plerumque fit: maior pars meliorem vicit.* **Haec hactenus. Valet basilicê. Medullitus vos salutat Leo Latinus.**

### NICOLAUS GUSTAVO ET BEATO CETERISQUE S.

P.S. En locum Livianum rectê indicatum (LIV.XXI 4)

[https://www.lateinlex.de/?call=Puc&permalink=Liv\\_21\\_4](https://www.lateinlex.de/?call=Puc&permalink=Liv_21_4)

pauci ac fermê optimus quisque Hannoni adsentiebantur; sed, **ut plerumque fit, maior pars meliorem vicit.** missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit:... Ceterum perplacet imago a *Beato* missa eius adnotatio. **Valete semper, NIC. LL.**

### VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

06.04.2024 08:14

#### Victorius Herberto ceterisque legentibus s. p. d.

Vocabula, quae "*mannus*" et "*mannulus*" sunt, clare explanasti, Herberte. Recordarisne quis hac in sodalitate fuerit, qui primus de «mannulo hydraulico» scripserat ad illud instrumentum significandum ('bidet' Francogallice vocitatur), quo aliqui homines ad sua ipsorum pudenda lavanda purgandaque utuntur? Gratias in antecessum plurimas ei, qui memoriae labanti meae auxilium tulerit. Nam Gregis tabularium sive archivum pervestigare nescio. Vale valeteque.

\*\*\*\*\*

d.06. m.Apr. a.2024 h.16:08

#### NICOLAUS VICTORIO CETERISQUE SODALIBUS SAL.PL.

Nomen francogallicum huius instrumenti vel *supellectilis pudenda lavandi*, quod nescioquis voluit appellare *mannulum hydraulicum*, sensu proprio valet *eculeum*, *parvum equum*, *mannulum* (verbum temporale "*bider*" palaeofrancogallicum valuit *gradum equorum citatum*). - Sed non est consentaneum, ut nos nomen Latinum instrumenti novantes imitemur etymon Francogallorum metaphoricum iam pridem obsoletum neque ulli homini nisi linguistae notum: Nam, ut Wikipedia theodisca s.v. docet, metaphora (translatio ab equo ascendendo ad *bidet* adhibendum) exorta est genere talium instrumentorum iam pridem obsoleto, quod affigebatur ad compagem, ut mulieri lavaturae esset *tamquam equitaturae ascendendum*:

"Diese merkwürdige Bezeichnung für das Bidet kam dadurch zustande, dass frühe Formen von Bidets **auf einem Gestell befestigt** waren und **man bei der Benutzung aufsteigen musste**".

Sed supellectiles huius generis modernae solent *insideri* non ascendi. In *Lexico Auxiliari* proponitur "*scaphium, -i n.*", quod est verbum antiquum multis locis testatum, sed parum quadrat ad supellectilem modernam denominandam. Nam Forcellini nos docet haec q.s.:

**SCĀPHĪUM**, īi, n. ... ¶ 3. Item vas, quo *corporis excrementa excipiuntur*, lasanum, *pitale, cāntero*. Quidam putant esse mulierum, et *lasanum* virorum: quia reponitur a *Polluce Onom. l. 10. c. 3.* inter vasa muliebria, et ex loco *Juvenalis* mox afferendo, ubi de muliere sermo est. *Coel. Aurel. 4. Tard. 3. 50.* Scaphia posita ad egestionem.

Equidem propono, ut dicamus talem supellectilem **lavābrum sessile** (cfr theod. *Sitzwaschbecken*, Wikipedia s.v. Bidet). Quid vobis videtur? Vale tu, care Victori, et valete vos semper pancraticê. **Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.07. m.Apr. a.2024 h.09:57

**Victorius cuncto Gregi praecipueque Herberto, Nicolao, Eduardo s. p. d.**

Plurimas gratias vobis ago, Herberte, Nicolae, Eduarde pro vestris hesternis epistulis, quarum tituli: De verbo, quod est "mannulus hydraulicus".

Singillatim unicuique :

1) Recte dicis, Herberte, de gentium moribus, qui saepe et ubique variantur. Neque immerito in illius instrumenti ('Bidet' Francogallice vocitati; 'bidetto' quidam purae Italicae Linguae cultores frustra proposuerant) usu aliquid feminini inesse videatur. Sunt enim qui "mannulum hydraulicum" eo consilio primitus excogitatum fuisse putent, ut mulieres, vaginali utentes purgatione, graviditatem vitarent.

2) **Tua responsa, Nicolae**, tam accurata ac diligentia sunt, ut hasce tantum sententias adiciam: a) Locutionem a te propositam, i. e. «Lavabrum sessile», minime respuerim. b) Quoniam etiam Italicam linguam calles, abs hac re non alienum est addere ab aliquibus nostratibus olim propositam fuisse- ne verbum istum Francogallicum (= 'bidet') usurparetur- non modo 'bidetto', ut supra, sed etiam vocem hanc: 'sciacquapudenda', quae, cum binis vocabulis constet (quod rarissime Italice accidit), explicare conabor: 'pudenda' scimus quod sit; 'sciacqua' est tertia persona singularis praesentis indicativi verbi italici, quod est 'sciacquare' (ductum, ni fallor, e voce Latina, quae est 'exaquare', id est: 'abluere').

3) Tibi, Eduarde, gratias vel maximas ago, quoniam nomen sodalis, qui "primus" de mannulo hydraulico sive de labello intimo scripserat, opportune repperisti (gratum feceris si rationem, qua ad illud nomen inveniendum usus sis, explanaveris). Ego autem "me stultum atque obliviosum" fuisse fateor, quia nomen Antonii Robustelli non memini. Atqui huius gregalis mentionem feceram atque primas lineas, quas ex quadam eius epistula [die 18 Febr. 1998 scripta] excerpseram, acroasi inserui c. t. "Quomodo Grex Latine loquentium interretialiter colat et probet Latinitatem vivam"

[quae quidem acroasis vel relatio edita est in libro c. t. 'Acta selecta decimi conventus Academiae Latinitati fovendae'. Qui conventus Matriti, 2-7 Sept. a. 2002 habitus est]. Te quoque, Eduarde, eo in 150 sententiarum indice nominavi, et quasdam sententias tuas (quas ex epistula 'Frater, tibist denarius subsecivus') [quam die 9 Iun. scripseras] rettuli. Bene valeant omnes gregales, sive qui quaeve eo instrumento utantur sive qui quaeve alios modos ad pudenda purganda usurpare soleant (opinio personalis: sicut non omnes opiniones eadem existimatione dignas esse puto, ita non omnibus moribus eandem dignitatem attribuerim). [Menda excusetis velim].

d.07. m.Apr. a.2024 h.11:05

**NICOLAUS LEO LATINUS VICTORIO CUNCTOQUE GREGI SAL.PL.**

Gratias plurimas tibi ago, bone Victori, pro nomine instrumenti italico a puristâ olim proposito. Ex hâc nomine apparet puristam (haud aliter ac me) studuisse, ut denominaret instrumenti finem. Haec hactenus, mox, si volueris, plura. Utinam diem Dominicum degatis iucundê atque recreabiliter. Valete omnes basilicê atque pancreaticê. **Medullitus vos salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.07. m.Apr. a.2024 h.15:11

**Victorius omnibus legentibus s. p. d.**

Sub numero 3) legatur, quaeso: 'verbum istud Francogallicum', et, post paucas lineas, compleatur sententia haec: «[quam die 9 Iun. scripseras]» ita: die 9 Iun. 2001], quia tempus regit omnia. **Valete.**

\*\*\*\*\*

**Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (Andreas Vesalius)\*.**

-----  
**Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis.**

\*Pace Victorii nostri optimi liceat adnotare hunc versum a Vesalio excerptum esse ex carmine **APPENDICIS VERGILIANAE: Elegiae in Maecenatem I,38** (philologi coniciunt hoc carmen non scriptum esse ab ipso Vergilio, sed a poeta ignoto saeculi primi a.Chr.n.), cfr vv.33-40: maluit umbrosam quercum nymphasque cadentes/ paucaque pomosi iugera certa soli;/ Pieridas Phoebumque colens in mollibus hortis/ sederat argutas garrulus inter aves./ +marmora minaci+ vincent monumenta libelli: / **vivitur ingenio, cetera mortis erunt.**/ quid faceret? defunctus erat, comes integer idem,/ miles et Augusti fortiter usque pius.

**MICHAEL FABER (i.e. vulgo Schmude) SARAVIPONTANUS  
CASAE GRAMMATICAE MODERATOR**

| d.09. m.April. a.2024 h.14:26

**NICOLAUS MICHAELI SAL.PL.DIC.**

S.V.B.E.E.V.

Care Michael, per interrete vagans modo incidi in *Casam* tuam *Grammaticam*, quâ perspectâ doctior evasi. Etiam de *Salviano Marsiliensi* nonnulla didici, qui mihi - ut

verum confitear - fuerat prorsus ignotus. Etiam acroasin tuam, quam fecisti de homine ente et defectivo et prometheo, elato animo spectavi atque auscultavi.

Sophos! Gratulor tibi de operum tuorum fecunditate.

In appendice invenies Epistolam Leoninam 287; proxima mox edetur. Si volueris, tibi eam quoque mittam gratis et sine ullâ obligatione. Si vacabis, Epistolâ perlectâ scribas mihi, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Confidenter spero fieri posse, ut tecum habeam commercium litterarum iucundum atque fructuosum. Magni enim aestimo acumen mentis tuae criticum necnon audaciam liberê et sincerê loquendi.

**Macte virtute esto, Michael: tu ne cede malis sed contra audentior ito!  
Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.07. m.Apr. a.2024 h.00:17

**Care Nicolae Leo Latine,**

magno cum gaudio accepi tuam epistolam electronicam. Ultimam epistolam Leoninam accepi 245am; deinde nullam iam. Et in appendice huius epistulae electronicae item nulla est epistula. Valde libenter acceperim tuas epistolas Leoninas - et certe et porro velim tecum in commercium litterarum intrare. Quid est, fuit, erit de tuo novo periodico 'Symbolae Leoninae'? Medullitus te salutat **Michael Faber**

d.18. m.Apr. a.2024 h.13:59

**NICOLAUS MICHAELI S.**

Accepistine interim Epistolam Leoninam 287? Gratias plurimas pro versione tuâ operis Salviani! Valdê doleo, quod post EL 245 editam propter indicis inscriptionum electronicarum defectum nullam iam Leoninam acceperas. Omnes Epistulas usque nunc editas statim invenies, si intraveris situm interretialem EPHEMERIDIS, cuius inscriptio est haec quae sequitur: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php>

Primam EL ibidem publicavi d.20. m.Maii a.2009 h.14.30 Iusto in memoriam revocas inceptum meum, c.t. "*Symbolae Leoninae*". Quod distuli, ut tandem finirem magnum Lexicon meum iam ex 15 circiter annis tractatum, c.t. "ORBIS PICTUS HEXAGLOTTUS" (de singulis universis multa invenies in EL). Grato animo recordor te paratum esse etiam ad res politicas criticâ ratione tractandas. De iisdem alii aliter sentiunt; doleo quod etiam inter Latinê doctos nonnulli sunt, qui libertatem sententiae dicendae non aestiment nisi agatur de sententiâ suâ propriâ, immo, dolenter invêni inter eosdem esse etiam delatores malevolos. Mihi quidem persuasum est strictê observandum esse illud proverbium Romanum, q.e. AUDIATUR ET ALTERA PARS! - Sed de his, si volueris, alio loco certê plura. Mi care Michael, valdê vehementerque gaudeo, quod interim non aberravisti a Latinitate vivâ colendâ. Utinam una colamus commercium epistulare quam fructuosissimum! Valeas basilicê et pancraticê. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS LEO LATINUS.**

d.21. m.Apr. a.2024 h.13.29

**Care Nicolae,**

hoc tempore valde occupatus sum labore meo operis Salviani presbyteri Massiliensis êdendi, c.t. *De gubernatione Dei*. Praeterea mea officia universitaria gero *Confluentibus Vallendariisque*, quae profecto diligo et spero multos iam in annos perlaturum esse et posse.

Paginas interretiales tuas iam visi et gratias tibi ago – Tuum *Orbem pictum hexaglottum* legere mea valde intererit. Translatio Salviani mea commentariolis instructa ad formam praesentem redacta est in reti interretiali: [www.academia.edu](http://www.academia.edu) „*Audiatur semper et alter pars*“ – haec est sententia cui vim attribuo maximam. Interdum disco Linguam Italianam (quam praeter linguam Gallicam valde amo) – linguas vere Europaeas. Magna cum inflammatione animo deditus sum Europae linguis atque cultibus civilibus regionum singularum mirabilibus, quorum fundamenta sunt Graecitas atque Latinitas.

*Symbolae Leoninae* aliorumque inceptorum - si velis, particeps libenter tecum cooperabor ...

**Medullitus salutatur Michael Faber**

[www.casa-grammatica.de](http://www.casa-grammatica.de)

0151 404 808 22


instagram: Michael P. Schmude

Alia data cognoscis.

d.21. m.Apr. a.2024 h.21.43

**NICOLAUS MICHAELI S.**

Gratias plurimas pro responso tuo, care Michael. Gaudeo, quod opuscula mea tibi non ingrata sunt. Studia tua Italica floreant! - In praesenti perfecturus sum Epistulam Leoninam 288. Si perfecero, tibi statim mittam. Haec brevissimê, mox, si volueris, plura. Basilicê vale. **Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus**





## **EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI**



**PROF. DR. CHRISTIANUS LAES**  
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

**Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.**

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suo te se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest.



Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.  
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

**Prof. Dr. Christian Laes**

Departement Geschiedenis/ Department of History  
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp  
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·  
B 2000 Antwerpen

# CERTAMEN QUIRINALE

**Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.**

**Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevioram iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.**

**Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.**

**Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.**

*Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. Aevum, Arctos, Aristetas, Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum, Epistula Leonina, Eranos, Exemplaria Classica, Giornale Italiano di Filologia, Gnomon, Hermes, Hyperboreus, Latinitas, Latomus, Melissa, Museum Helveticum, Peitho: examina antiqua, Philologia Classica, Renascens, Rheinisches Museum für Philologie, Rhetorica, Symbolae Philologorum Posnanensium, Tyche, Vox Latina.*

# **CERTAMEN CAPITOLINVM LXXV**

## **OMNIBVS PROSAE LATINAE ORATIONIS LATINORVMQVE CARMINVM STVDIOSIS HOMINIBVS PROPOSITVM**

**A. MMXXIV**

**INSTITVTVM Romanis studiis provehendis**, auspiciis et impensas adiuuantibus Romanae civitatis Magistro itemque Administro humano civilique cultui fovendo, ad novum Capitolinum prosae Latinae orationis Latinorumque carminum Certamen omnes ubicumque gentium Latini sermonis studiosos homines invitat, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium maiestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis Praemium nuncupatur, erunt sigillum lupam Capitolinam imitatum, in basi victoris nomen ac certaminis annum diemque praeferens, et diploma. Huic muneri quadringenti Eurodenarii adicientur. Qui victori proximus de agone discesserit, nummo decorabitur. Huic muneri ducenti Eurodenarii adicientur. Ceteri petitores, qui digni habiti sint, laude ornabuntur.

Scripta, quae praemio ornata sint, Institutum Romanis studiis provehendis in suo interretiali situ proponet; auctoribus autem post annum tantum eadem in lucem edere integrum erit.

Institutum Romanis studiis provehendis ad hoc prosae Latinae orationis Latinorumque carminum certamen etiam scholarum discipulos iuvenesque omnes in Vniversitatibus studio deditos invitat. Ex iis qui primus de agone discesserit, diplomate ornabitur. Cui centum Eurodenarii adicientur.

Exitum certaminis, cum diei Urbis natalis sollemnia celebrabuntur, Romanae civitatis Magister in aedibus Capitolinis renuntiabit.

### **LEGES CERTAMINIS**

**I)** Fictis fabellis, animi adfectuum vocibus, de humanis fati cogitationibus, commentariolis historicis, disputationibus philologis, omni denique prosae eloquentiae vel carminum genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum Certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnasiis sint destinata, ne prius in lucem edita, ne alio praemio ornata vel laude, neve ex alio sermone sint conversa. Petitores omnes licebit certamen adire uno libello. Doctorum virorum libelli soluta oratione conscripti ne mille et quingentis verbis sint breviores; adulescentium iuvenumque autem libelli ne mille breviores sint verbis. Poetarum carmina ne minus quinquaginta versibus constant, quolibet metro intextis. Praemium vel laus non illis deferetur, qui e vita excesserint. Praemia non tribuentur ex aequo.

**II)** Tria opusculorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue impressa vel instrumento computatorio expressa vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad Istituto Nazionale di Studi Romani - Ufficio Latino - Piazza dei Cavalieri di Malta, 2 - 00153 Roma ante Kal. Febr. anni MMXXIV. Quoad studiosos homines, auctoris nomen neve in exemplari neve in involucri cursuali adpareat, sed exemplar sententia sit munitum, quae eadem inscripta sit parvo obsignato integumento scidulam continenti auctoris nomine, domicilio, telephonicis numero, electronici cursus inscriptione notatam. Discipuli vero libellis nomina domiciliaque subscribant ac tabellam adiciant, in qua scholae vel Vniversitatis ordinis Praeses fidem faciat discipulum, qui ad certamen sit descensus, vere scholae illius vel Vniversitatis ordinis auditorem esse.

**III)** Tres viri iudices erunt a Romanae civitatis Magistro, ab Administro humano civilique cultui fovendo et ab Instituti nostri Praeside delecti. Hi post iudicium parva integumenta resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praeferant. Scripta non probata, si repetita, reddentur; sin minus, una cum integumentis obsignatis, tertio exacto mense post iudicium publicatum, igne delebuntur. Eodem temporis momento discipulorum scripta, quae auctores non repetiverint, igni committentur.

**D. Romae Kal. Iun. A.D. MMXXIII ab V. c. MMDCCLXXVI**

**CAIETANVS PLATANIA  
INSTITVTI PRAESES**

**MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S.P.D.**  
**De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo**

**Marcus Cristini lectoribus *Epistulae Leoninae* s.p.d.**

Certiores vos facere velim, domini dominaeque maxime honorabiles, de incepto quod ante annum adgressus sum quodque mensibus proximis futuris ad finem ducere velim. Statui enim carmina Latina recentissima (ab anno 2000 usque ad diem hodiernum edita) colligere et conspectum poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi componere, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn olim conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum - quantum possum - ad diem hodiernum perducerem. Hoc modo lectores futuri Latinae poesis cupidi titulos carminum et ubi typis traditi sint statim cognoscent.

Iam laudavi poemata omnia, quae leguntur in commentariis periodicis Latinis hodiernis (et adhuc exstantibus et vita functis) maioris momenti, qui sunt *Epistula Leonina*, *Latinitas*, *Melissa*, *Renascens*, *Rumor Varius*, *Vates* et *Vox Latina*. Nonnullos quoque libros poetarum Latinorum recentiorum legi diligenterque recensui. Timeo autem ne carmina haud pauca in actis diurnis, commentariis periodicis vernaculis, ephemeridibus universitatum studiorum vel miscellaneis ad doctum quendam celebrandum (vulgo *Festschriften*) edita me effugerint. Qua de causa vos oro, candidi lectores, ut mihi scribatis (sermone Latino, Germanico, Anglico, Italico, Francogallico vel Hispanico), si quis vestrum versus Latinos quavis ratione panctos ab anno 2000 usque ad diem hodiernum publici iuris fecerit. Inscriptio mea electronica est [marco.cristini92@gmail.com](mailto:marco.cristini92@gmail.com), cursualis vero Marco Cristini, via XXV Aprile 6, 25121 Brescia, Italia.

Ceterum vos auxilio arcessere velim, si mihi indulgetis, in opusculis nonnullis inveniendis.

- ***Pro Lingua Latina Zeitschrift***: fasciculos omnes ab a. 2000 usque ad a. 2023 legere velim, sed ii nusquam in Italia inveniuntur. Iam interrogavi commentariorum moderatores, qui mihi pro dolor subsidio venire recusaverunt.
- Laura D'Arpe: ***Iris (Ametrica carmina II)***, Copertino. Lupo Editore 2014.

- Commentarii periodici Dacoromani q.t. *Timpul* (Iași), qui carmina continent a Livio Franga Dacoromano scripta (fasciculos, qui mihi opus sunt, libenter indicabo).

Habetisne, quaeso, apud vos hos libellos? Cognoscitisne aliquem, qui haec habeat? Potestne fieri, ut mihi photographemata paginarum selectarum (.jpeg, etiam sophophono facta), imagines ope scansionis exscriptas (.pdf), exempla phototypica vel exemplaria ipsa (praesertim quod ad *Pro Lingua Latina Zeitschrift* attinet) mittatis? Si mavultis libellos mihi cursu publico mittere, ipse carmina exscribam et dein nulla interposita mora exemplaria vobis remittam. Sumptus cursuales vel/et impensas ad libellos ope lucis exscribendos libenter solvam et in conspectu gratias agam iis omnibus, qui mihi subsidio fuerint.

**Curate, ut optime valeatis.**

## CORRIGENDA ET SUPPLENDA

- 1). EL 286, p.62, lin.2-3: maritoque iterum iterumque pollicita se ne ulli (non: ullo) quidem umquam homini rem prodituram esse...
- 2). EL 286, p.62, lin.5: occidisse (non: occidisse).



Näheres unter  
0821 / 9069613

oder unter

<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi  
KTHMA EIS AEI.*



XX

**INDEX DISCORUM LEONIS LATINI**

NR	Num. mandatae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	0010 4A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA—Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE —Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI —</b>  Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner- Eschen- bach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90

12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030	978-3-938905-	CAESARIS	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90

	<b>6A</b>	<b>24-1</b>	BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>						
<b>26</b>	<b>0040 6A</b>	<b>978-3- 938905- 25-8</b>	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
<b>27</b>	<b>0050 6A</b>	<b>978-3- 938905- 26-5</b>	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
<b>28</b>	<b>00107 A</b>	<b>978-3- 938905-27- 2</b>	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
<b>29</b>	<b>0020 7A</b>	<b>978-3- 938905-28- 9</b>	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3- 938905-29- 6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM DUODENONAGESIMAM**



Василий Александрович Архипов  
1926-1998



Станислав Евграфович Петров  
1939-2017

ECCE DUO SERVATORES MUNDI

*>>Non sum heros: nil feci nisi faciendum.<<*

STANISLAUS PETROVIUS

*Quis nos servabit vice proximâ?*

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE  
PERFECIT**

**Die Martis, 07. m.Maii a.MMXIV**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**